2

MOTIVA,

QVIBVS MAGIS, ATQ. MAGIS

Afficiatur mens Dei amore, ferveat ſpiritus, anima coaleſcat, cor effundatur:

ET

In conſpectu Altiſſimi humiliter ac devote deprecetur.

Ex diverſis Sanctorum DD. ſententijs conferta

A B

ALOYSIO DE S. SEVERINO,

Biſiniani Principe, Saponariæ Comite, et Altimontis, &c.

PARS TERTIA.

NEAPOLI,

Apud Novellum de Bonis, Archiepiſc. Cur. Typograph. 1662.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

Adm. Rev.

D ANTONIO

CARAFA

Cleric. Regular. Theologo Doctori, ſuo à ſacris confeſſionibus Patri

ALOYSIVS DE S. SEVERINO Biſiniani Princeps, Saponariæ Comes, &c.

AGens quiſque iter vitæ huius, auxiliante Chriſto indeſinenter debet eſſe armatus, & ſtare ſemper in caſtris. Variæ ſunt pugnæ, & acies multiplices, & oportet eſſe paratos ad omnia. Quemadmodum enim qui ad mare eſt acceſſurus, & aquarum violentarum impetum, & vim immanium ventorum, & nubium concurſum, rupeſq. & ſcopulos marinos, belluarum irruptionem, & piratarum incurſionem, & famem, & ſitim, & ſtationem non ſatis tutam navibus, nautarum contentionem, viatici inopiam, & quæcunque ſunt eiuſmodi,

debet conſiderare, ac proſpicere, & adverſus ea omnia aciem inſtruere; ita etiam qui venit in euripum vitæ præſentis, & adverſus corporis affectiones, & adverſus morbos animi, & adverſus hominum inſidias, & adverſus inimicorum inſurrectiones, & adverſus fictorum amicorum fraudes, & adverſus paupertatem, & adverſus tormenta, & adverſus contumelias, & dæmonum phalanges, par eſt, ut ſe præparet, ſiquidem ſit in urbem Regiã perventurus, & mercium onuſtus in portum appulſurus. Contra diabolum & Angelos eius dimicamus, qui gaudent perturbationibus noſtris, & conſtitutos nos in cœleſtibus, ideſt, in præceptis ſpiritalibus ambulantes, inde conantur avertere. Vides quàm ſint ignita nequiſſimi tela. Bonum ſcutum oratio, quo omnia adverſarij illa ignita ſpicula repellantur. Fortis eſt inimicus & armatus, vigilat ſemper ad interitum noſtrum; non dormitat, neq. dormit Dominus, qui cuſtodit nos: ſi tamen non dormientes, ſed vigiles inveniat nos. Bonum ſcutum infirmitatis, oratio. Tu oras, & Dominus te protegit. Magnum certamen eſt, cum homo

fi-

fidelis adverſus Principes, & Poteſtates prævaricatorum Angelorum, & adverſus ſpiritalia nequitiæ colluctatur: cum illi accipiunt. Propterea admonet Apoſtolus induere omnia arma Dei, ut poſſimus ſtare contra verſutias criminatoris, & ſtemus ad machinationes eius: nos quoque petimus in oratione Dominica dari præcipuum panem, id eſt, Dominum Saluatorem, qui de ſe ipſo dicit: Ego ſum panis viuus: itaque manifeſtime comprobatur universitatem armorum, quibus indui iubemus, intelligi Salvatorem: ut unum atque idem ſit dixiſſe, induite vos arma Dei, quaſi dixerit, induite Dominum Ieſum Chriſtum. Si enim cingulum veritas eſt & lorica iuſtitia eſt. Salvator autem & veritas, & iuſtitia nominatur, nulli dubium quin ipſe & cingulum ſit, & lorica. Igitur iuxta hæc, ipſe erit, & præparatio Evangelij pacis, & ſcutum fidei, & galea ſalutaris, & gladius ſpiritus, quod eſt Verbum Dei, & vivens ſermo, & efficax, & acutus ſuper omnem gladium ex utraq. parte acutum. Quæ autem alia arma Dei poſſumus exiſtimare, quibus induendus eſt, qui habet adverſum-

diaboli dimicare verſutias, excepta virtute, quæ Chriſtus eſt? Hunc enim, qui iuxta omnia, quæ ſuper eo intelliguntur, fuerit indutus, potens erit contra univerſas inſidias diaboli repugnare, & ſecundum id quidem, quod veritate præcinctus eſt, non facile ad falſa dogmata deducetur. Iuxta hoc vero quod loricam indutus eſt iuſtitiæ, iniquitatis iaculis non poterit perforari. Simus ergo orationi inſtantes obſervantes Dominum *Ieſum, ut ad nos venire, & nobiſcum mirifica miſericordia ſua manere dignetur. Per orationem enim cum Deo eſſe contingit. At, qui cum Deo eſt, ab adverſario remotus eſt. Oratio pudicitiæ præſidium atque tutamen eſt, iræ moderatio, ſuperbiæ ſedatio, atque repreſſio, iniuriarum tenacis memoriæ expurgatio: invidiæ profligatio, iniuſtitiæ ſublatio, impietatis correctio. Oratio corporum robur eſt, abundantia domus, recta iuris ac legum in civitate conſtitutio, regni vires, belli tropheum, pacis ſecuritas, diſſidentium conciliatio, coniunctorum conſervatio. Oratio virginitatis ſigillum eſt, matrimonij fides, viatoribus ſcutum, dormientium cuſtos,*

vi-

vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, navigãtium ſalus. Oratio reorum, & cauſam dicentium patrona; noxiorum, atque vinctorum relaxatio atque ſolutio; fatigatorũ requies, mœrentium conſolatio, gaudentium animi delectatio, lugentium ſolatium, nuptias contrahentium corona; natalitij feſti celebratio, morientiũ funus. Oratio converſatio, ſermocinatioque cum Deo eſt; viſum effugientium contemplatio, eorum, quæ concupiſcuntur, certa fides; eiuſdem cum Angelis honoris conditio, bonorum progreſſus & incrementum, malorum ſubverſio, peccatorum emendatio, præſentium fructus, futurorum comprehenſio. Oratio Ionæ quidem cetum domum effecit; Ezechiam verò ex portis mortis ad vitã reduxit; tribus autem adoleſcentibus in ventum rorantem flammam convertit; Iſraelitis aduersùs Amalechitas trophæum erexit, & centum octoginta quinque millia Aſsyriorum una nocte gladio inviſibili proſtravit. Denique oratio munitus eſt locus, nullus ibi timetur hoſtis. Appropinquare nos facit Chriſto, ſi elevetur actibus noſtris, hoc eſt, ſi dolum neſciamus,

men-

mendacium oderimus, veritatem ſequamur, iuſtitiam non refugiamus, diligamus caſtimoniam, & mandata
„ Dei in cũctis obſervemus; nullo mo-
„ do communicantes operibus tenebra-
„ rum. Siquidem volare facit oratio-
„ nem bona vita, & dat alas precibus
„ ſpiritales, quibus ad Deum evehatur
„ tur oratio; oculi eius firmè contem-
„ plantur Solis æterni radios, & emi-
„ canti ſplendore nutriuntur. Preces enim nudæ non proficiunt. Elevanda autem opera noſtra ſunt in Dei ſancta: id eſt, in nudis veſtiendis, in eſurientibus cibandis, in ſitientibus potandis, in afflictis conſolandis, in oppreſſis adiuvandis, in omnibus diligendis. Qui crebrò ac devotè orat, corpore tenetur in terra, anima autem in cœlo. Elevatum ad ſuperna cor non putreſcet, ſicuti humi iacens, ſed quotidie emundatione diſponitur ad videndum Deum (in quo ſumma beatitudinis, gloriaque conſiſtit) nec ſeculi huius pulvere ſordeſcit; præſertim ſi accedant lacrymæ, quæ Dei charitatẽ accendere ſolent. Sed cavendum valde eſt, ne ſubrepat in opere orationis aliqua oſtentatio, & appetitus laudis

hu-

humanæ, qui duplicet cor noſtrum, & non ſinat mundum & ſimplex eſſe ad intelligendum Deum. Felix & beata anima, quæ orans venas ſuſurri divini percipit in ſilentio, frequenter iterans illud Samuelis; Loquere Domine, quia audit ſervus tuus; tunc fides munitur, vita inſtruitur, amor dilatatur, vitia fugantur, augentur virtutes. Fortitudinem teneat oratio, ut nullo interpoletur metu, nulla laſſitudine deficiat. Tunc enim debet eſſe intentio ad precandum robuſtior, cum urgemur adverſis. Deniq. corporis virtus exercitatione augetur frequēti, at inexercitata minuitur & labitur. Similiter animæ fortitudo exercitationis aſſiduitate ſolidatur, ut labor ipſe diſciplina ſit; non oneri futurus, ſed uſui. Rectè vir devotus Deo cum Propheta Rege dicit; Intret dignitas mea coram te. Habet enim & Chriſtianus dignitatem ſuam, qui tanto Imperatori militat / Sunt maximæ etiam veræ fidei dignitates, ſunt honorum diverſi & apud Chriſtum ordines. Poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores: ſed iſtæ adminiſtrantium dignitates. Sunt

etiam

Digitized by Google

mendacium oderimus, veritatem ſequamur, iuſtitiam non refugiamus, diligamus caſtimoniam, & mandata
„ *Dei in cũctis obſervemus; nullo mo-*
„ *do communicantes operibus tenebra-*
„ *rum. Siquidem volare facit oratio-*
„ *nem bona vita, & dat alas precibus*
„ *ſpiritales, quibus ad Deum evehatur*
„ *oratio; oculi eius firmè contem-*
„ *plantur Solis æterni radios, & emi-*
„ *canti ſplendore nutriuntur. Preces enim nudæ non proficiunt. Elevanda autem opera noſtra ſunt in Dei ſancta: id ſt, in nudis veſtiendis, in eſurientibus cibandis, in ſitientibus potandis, in afflictis conſolandis, in oppreſſis adiuvandis, in omnibus diligendis. Qui crebrò ac devotè orat, corpore tenetur in terra, anima autem in cœlo. Elevatum ad ſuperna cor non putreſcet, ſicuti humi iacens, ſed quotidie emundatione diſponitur ad videndum Deum (in quo ſumma beatitudinis, gloriaque conſiſtit) nec ſeculi huius pulvere ſordeſcit; præſertim ſi accedant lacrymæ, quæ Dei charitatẽ accendere ſolent. Sed cavendum valde eſt, ne ſubrepat in opere orationis aliqua oſtentatio, & appetitus laudis*

hu-

humanæ, qui duplicet cor noſtrum, & non ſinat mundum & ſimplex eſſe ad intelligendum Deum. Felix & beata anima, quæ orans venas ſuſurri divini percipit in ſilentio, frequenter iterans illud Samuelis; Loquere Domine, quia audit ſervus tuus; tunc fides munitur, vita inſtruitur, amor dilatatur, vitia fugantur, augentur virtutes. Fortitudinem teneat oratio, ut nullo interpoletur metu, nulla laſſitudine deficiat. Tunc enim debet eſſe intentio ad precandum robuſtior, cum urgemur adverſis. Deniq. corporis virtus exercitatione augetur frequēti, at inexercitata minuitur & labitur. Similiter animæ fortitudo exercitationis aſſiduitate ſolidatur, ut labor ipſe diſciplina ſit; non oneri futurus, ſed uſui. Rectè vir devotus Deo cum Propheta Rege dicit; Intret dignitas mea coram te. Habet enim & Chriſtianus dignitatem ſuam, qui tanto Imperatori militat / Sunt maximæ etiam veræ fidei dignitates, ſunt honorum diverſi & apud Chriſtum ordines. Poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores: ſed iſtæ adminiſtrantium dignitates. Sunt

etiam

etiam privatorum; ut eſt pietas, iuſtitia, ſobrietas, caſtimonia diſciplinæ. Sunt etiam orationis dignitates: ſi pro vidua roges, ſi roges pro pupillo, ſi roges pro miſericordi, ſi roges pro nimium devoto, ac fideli, ſi roges in tribulatione, roges cum dolore, ſi mœſto & ipſe, qui rogas, compatiaris affectu: intret oratio tua Dei gratiã, intrat domum eius, ſi tecum Eccleſia deprecetur, ſi populus univerſus imploret, ut Domini inclinet favorem. Facilè fortis vincit infirmam, armatus inermem; vigilans ſomno deditum; ne, queſo, dormiamus ſomnum perpetuum agentes otium: ſed verbo Dei, *& orationi inſtantes avidè bibamus ebrietatem ſpiritus, ac vigilantes cum gratiarum actione. Nam verè deprecatio, quæ Deo funditur, armatura cœleſtis eſt inexpugnabilis, ac tutiſſimum, nec unquam fallens munimentum: ſi tamen cum intentione fuerit, ſi ſine vanagloria, ſi cum animo ſincero. Iſta medicamentum eſt ſalutare, & prohibitio peccatorum, & medicina delictorum: denique oratio iugis infirmitas eſt hoſtis. Quia ergo quotidie nobis pugna imminet contra adverſarias*

po-

poteſtates, ſi volumus vincere, manus noſtræ, ideſt actus noſtri & converſatio noſtra non ſit in terris, ſed ſicut Apoſtolus dicit; Super terram ambulantes converſationem habeamus in cœlo: orationi inſiſtentes & vigilantes in ea. Hæc eſt Chriſtiani pugna glorioſiſſima non ſuis viribus præſumere, ſed ſemper Dei auxilium implorare, cui eſt honor & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

Digitized by Google

Digitized by Google



Erat pernoctans in oratione Dei;
non ut pro se obsecret;
Sed ut pro me impetret.

Digitized by Google

LIBELLVS MEDITATIONVM SPIRITVALIVM

Ad amorem divinum in nobis inſtaurandum.

1 IESVS Chriſtus eſt ianua: ipſe intus, ipſe extra, ipſe via, quæ ducit, ipſe vita, ad quam contendimus pervenire. O ſi mihi ipſe ſe reſeret. Ambroſ. apol. poſter. David cap. 7.

2 Excelſus per naturam, ſed humiliatus per miſericordiam: ſublimis in divinitate, ſed mitis in corpore. Ibid.

3 Securi ambulemus in via, quia Chriſtus eſt via, ſed inſidias timeamus iuxta viam: inimicus inſidiari non audet in via, quia Chriſtus eſt via, ſed iuxta viam planè non deſinit. Aug. hom. 54. de verbis Domini in Ioan. 10. 10.

4 Via Chriſtus eſt, humilis Chri-

Digitized by Google

ſtus, veritas & vita Chriſtus, excelſus & Deus. Si ambulas in humili, pervenies ad excelſum. Si infirmus humilem non aſperneris, in excelſo fortiſſimus permanebis. Ibid.

5 Ama æternitatem: nullo fine regnabis, ſi finis tibi Chriſtus eſt, cum quo regnabis in ſecula ſeculorum. Aug. in pſalm. 145. in fine.

6 Sine protectione Dei nihil es; ſemper ab illo protegi velimus. Tunc ſemper in illo magni eſſe poterimus, ſi ſemper ſub illo parvuli ſimus. Aug. in pſal. 62.

7 Bonus fons Dominus Ieſus, qui nos de huius vitæ refrigeravit incēdio, & inundatione ſua ariditatem noſtri pectoris ſuperavit. Aug. ſerm. 92. de tempor.

8 Quid tam plenū affectu, quàm miſericordia *D*omini noſtri Ieſu Chriſti? Qui videns infirmitatem noſtram, ut nos à ſempiterna morte liberaret, temporalem mortem cum tanta iniuria contumeliaque ſuſcepit. Auguſt. in pſal. 33. Cant. 2.

9 Convertit Dominus captivitatem noſtram, ut iam de captivitate viam teneamus, & eamus ad patriā.

Iam

Iam ergo redempti in via nõ timeamus inſidiantes hoſtes noſtros. Ideo enim redemit nos, ut non audeat hoſtis inſidiari nobis, ſi de via non receſſerimus. Ipſe enim Chriſtus factus eſt via. Idem in pſ. 125.

10 Tunc erit perfecta iucunditas, tunc illa perfecta iubilatio, tunc laus ſine defectu, tunc amor ſine ſcandalo, tunc fructus ſine timore, tunc vita ſine morte. Idem in pſal. 99.

11 Hoc Ieſu nomen tùm inferis, tùm morbis, & vitijs terrori eſt: ex eo itaqua ornatum nobis vireſque vindicemus. Chryſ. ſerm. de laudibus Dei t. 5.

12 Dulce ſatis eſt te bone Ieſu quærere, dulcius eſt tenere: in uno pius labor, in altero perfecta lætitia. Gallib. ſer. 1. in Cant.

13 In vaſculo nominis huius, quod eſt Ieſus, habes ò anima electuarium reconditum, ſalutiferum certè, quodque nulli unquam peſti tuæ inveniatur inefficax. Semper tibi in ſinu ſit, ſemper in manu, quo tui omnes in Ieſum, & ſenſus dirigantur, & actus. Bern. ſer. 15. ſuper Cant.

14 Omnis caro fœnum, & clari-

tas hominis ut flos fœni. Fœnum aruit, & flos decidit, Verbum autem Domini manet in æternum. Quia ergo Pater cognovit figmentum noſtrum, quia fœnum ſumus, & ad tẽpus florere poſſumus, miſit nobis Verbum ſuum, & Verbum ſuum, quod manet in æternum: fœno, quod non manet in æternum, fratrem fecit. Natura unigenitum, unicum, natũ de ſubſtantia ſua; fratrem, adoptatis tot fratribus, fecit. Noli mirari, quia particeps eris æternitatis illius, factus eſt ipſe prior particeps fœni tui. Quod excelſum eſt à te, tibi non denegavit, qui, quod humile erat, ex te ſuſcepit. Aug. in pſal. 102.

15 Confuge ò anima ad miſerationes eius, ut gravibus vulneribus tuis theriacam remiſſionis infundat. Hier. in pſal. 50.

16 Fundant oculi tui lacrymam, redi ad conſcientiam tuam, conſidera temetipſum, propone ante oculos iudicij diem, & paradiſi delicias, quæ præparantur Sanctis. Chryſ. in pſal. 50.

17 Si bene vixeris, Chriſtum cibum habebis. Si à Chriſto receſſeris,

cibus

cibus draconis eris. Aug. in pſal. 103. conc. 4.

18 Omnia propter te Chriſtus. Lapis propter te, ut tu ædificeris. Mons propter te, ut tu aſcendas. Aſcende, ergo ſuper Montem, qui cœleſtia petis. Ideo inclinavit cœlum, ut tu eſſes vicinior. Ideo ſurrexit ſuper verticem montis, ut te elevet. Ambroſ. in pſal. 41. verſ. Ad meipſum.

19 Apoſtolus dixit omnia in Chriſto, per quem omnia, & in quo conſtant omnia. Omnia ergo in illo habens, aliam non quæro mercedem, quia ipſe merces eſt univerſorum. Ideoque perfecto dixit: Tolle crucem tuam, & ſequere me. Qui illum ſequitur, non præmio ducitur ad perfectionem, ſed perfectione conſummatur ad pręmium. Imitatores enim Chriſti non propter ſpem boni ſunt, ſed pro amore virtutis. Chriſtus enim per naturam bonus, non propter præmij cupiditatem. Ambroſ. In pſal. 72. circ. fin.

20 Quod erit negotium noſtrum in illa viſione pacis cœleſti Ieruſalem? Laudare Deum, amare, & laudare: laudare in amore, amare in lau-

Digitized by Google

dibus. Beati, qui habitant in domo tua, in ſecula ſeculorum laudabunt te. Quare, niſi quia in ſecula ſeculorum amabunt te? Quare, niſi quia in ſecula ſeculorum videbunt te? Hoc ergo quale ſpectaculum erit in viſione Dei? Auguſt. Enatrat. in pſal. 147.

21 Sicut Redemptio Chriſtus, ita & miſericordia. Quæ autem maior miſericordia, quàm quòd pro noſtris flagitijs ſe præbuit immolandum, ut ſanguine ſuo mundum lavaret, cuius peccatum nullo alio modo potuiſſet aboleri? Ambroſ. in pſal. 47. verſ. Suſcepimus.

22 Sāguis Ieſu Chriſti pulchritudinem, atq; nobilitatem animæ, quā ſemper irrigat, & nutrit, langueſcere non ſinit. Chryſ. hom. 45. in Ioan.

23 Dæmones procul pellit, Angelos, & Angelorum Dominum ad nos allicit. Dæmones enim, cùm Dominicum ſanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur, Angeli autem procurrūnt. Ibid.

24 Hic noſtrarum animarum ſalus eſt, hoc lavatur anima, hoc ornatur, hoc incenditur, hic igne clario-

rem

rem noſtram mentem reddit, & auro ſplendidiorem. Ibid.

25 *Si te ægrotantem languor ipſe* convincit, priùs de ſalute tua cogita. Salus tua Chriſtus eſt, Chriſtum ergo cogita. Aug. in pſal. 102.

26 Quis non feſtinet habere ſibi Chriſtum, quem non poſſit ab eo nec prędo diripere, nec hoſtis auferre, nec captivitas ſeparare? Qui enim habet Chriſtum hominem, non veretur inimicum &c. Ambroſ. ſer. in 7. cap. Iob. to. 1.

27 Hæc cogitatio noſtra ſit. Quouſque rebus præſentibus incumbemus? Quouſque non excitabimur? Quouſque nullam ſaluti noſtræ curã adhibebimus? Intelligamus, quot in nos beneficia contulit Chriſtus. Chryſoſt. hom. 40. in Ioan. in fine.

28 Quemadmodum quercus altiùs demiſſis radicibus, nullius venti viribus ſternitur: ita animam divino cõfixam timore nullus tentationum ventus evellet. Idem ibid. hom. 53.

29 Ieſu dixi, veni, ille ſalit, & trãſilit. Ego rogo eum venire cum gratia, ille gratiarum operatur augmenta. Et dum venit, incrementa gratiæ

ſecum vehit, & veniendo acquirit, quia etiam ipſe ſtudet ſuæ placere dilectæ. Ambroſ. in pſal. 118. oct. 6. verſ. Et veniet &c.

30 Salvator es medice bone, & tolerando mentem phreneticam, & inſanam ſalvam facis animam: quia qui medicum non agnoſcit, phreneticus eſt. Chryſoſt. in pſal. 26

31 Ieſus, qui per divinitatis eſſentiam veritas, & vita permanet, per incarnationis myſterium via factus eſt, qua nos ad patriam, ubi veritate & vita frueremur, adduceret. Beda in Evang. Lucæ. c. 2.

32 In Ieſum ſi intendamus, non errabimus, quia ipſe eſt veritas, quo feſtinamus, & ipſe eſt via, per quam currimus. Auguſt. enarrat. in pſal. 84.

33 Altiſſimus maior omni laude, parvulus natus eſt nobis, ut nos viri poſſimus eſſe perfecti. Beda in Evangelium Lucæ cap. 2.

34 Magna quidem Domini potentia, ſed non minor claret humilitas, ut qui cœlo, terraque non capitur, grandęvi hominis geſtetur totus in ulnis. Ibid.

35 Anima, quæ Chriſti deſiderat

ad-

adventum, tota mentis intentione feſtinet. Neque enim, cum deſidia Chriſti eſt quærenda præſentia: & ideo fortè nonnulli quærentes, invenire non merentur, quia deſidiosè eum requirunt. Ibid.

36 Magna merces ſatis eſt per omnia Chriſto placuiſſe, & præter retributionem per ſeſe maxima, propter Chriſtum periclitari. Chryſoſt. hom. 40. in ep. 1 ad Corinth.

37 Cõcupiſcamus ex animo Deũ, nulla gehennæ formidine, ſed regni ipſius cœleſtis cupiditate. Quid enim eſt, quod poſſit divino illi ſpectaculo æquari? profectò nihil. Chryſ. ſerm. de vanitat. præſent. vitæ. tom. 5.

38 Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. Non enim iubetur, quiſque quantum diligat, ſed quanto, cùm dicitur ex toto. Ille enim veraciter Deum diligit, qui ſibi de ſe nihil reſervat. Greg. hom. 39. in Evãg.

39 Confitebor tibi Domine in toto corde meo. Totum, inquit, cor meum flamma tui amoris accendat, nihil in me relinquatur mihi, nec quo reſpiciam ad meipſum, ſed totus in te

æſtuem, totus in te ardeam, totus diligam te, tanquam inflammatus abs te: Aug. in pſal. 137.

40 Breve magiſterium eſt, ut ſemper laudes Deum, veroque corde, nõ falſo dicas: Benedicam Dominum in omni tempore. Breue myſterium eſt, ſcilicet ut noveris eum miſericorditer dare, cùm dat, miſericorditer auferre, cùm tollit. Id. in pſal. 144.

41 Lauda, & benedic Dominum Deum tuum per ſingulos dies, & venerit ſine fine vnus dies: eas ex laudibus in laudes, ſicut ex virtutibus in virtutes. Aug. in pſal. 144.

42 Glorificemus Deum, non fide tantùm, ſed & vita: aliter non eſſet gloria, ſed blaſphemia: Non enim ita blaſphematur Deus ab impio gentili, ut à Chriſtiano. Chryſoſt. hom. 66.

43 Pſallite Domino Deo noſtro in cithara, & voce pſalmi. Pſallite nõ voce ſola, aſſumite opera, ut non tãtum cantetis, ſed & operemini. Aug. in pſal. 97.

44 Laudate ſervi Dominũ. Quid iuſtius? quid dignius? quid gratius? etenim ſi non laudaverint ſervi Dominum, ſuperbi, ingrati, irreligioſi

erunt.

erunt. Idem in pſalm. 134.

45 Spiritus Ieſu, Spiritus bonus, Spiritus Sanctus, ſpiritus rectus, ſpiritus dulcis, ſpiritus principalis, quicquid in hoc ſeculo nequam videtur difficile, & anguſtum, leve facit, & latum: opprobrium gaudium iudicat, deſpectionem exultationem eſſe perſuadet. Bern. ſerm. 3. de Aſcenſ. Domini in fine.

46 Abſit tibi gloriari, niſi in cruce Domini tui Ieſu Chriſti, per quem tibi mundus crucifixus eſt, ut quæ mundus appetit crucem reputes, & tu crucifixus mundo, illis, quæ mundus crucem reputat, toto inhæreas amore. Idem ibid. ſer. 4. circa finem.

47 In ſolo Ieſu Chriſto cibum ſalutis quoties quærimus invenimus: in eius verbis, & exemplis animas noſtras fructu ſuavi, & ſalubri reficimus. Ipſe eſt quippe lignum vitæ, quā nobis tribuit. Ipſe eſt, qui dum nobis ſemetipſum inſpirat, animam paſcit. Greg. in Cant. 2. cap.

48 In iſta vita pax vera non eſt, nec tranquillitas. Gaudium immortalitatis, ſocietas Angelorum promittitur. Sed quiſquis non illam cum

hic eſt, quæſierit, nec illam habebit, cùm Dominus venerit. Auguſt. in pſal. 34.

49 Infige pectori tuo, & cordi tuo ſignaculum crucifixi Ieſu, infige, & brachio tuo, ut opera tua peccato mortua ſint: nihil in his criminis reviviſcat, nihil erroris reſurgat. Ambroſ. in pſal. 118. octon. 15.

50 Ardes fortè conſcientia delicti, lacrymis extingue flammam peccati: plora ante Dominum, qui te fecit, non enim opus manuum ſuarum contemnit in te. Ex Aug. in pſal. 94.

51 A Chriſto Ieſu veniunt, quicũque ad Chriſtum Ieſum veniũt: quia ipſe dat, ut veniant, & ipſe ſuſcipit venientes. Ambr. in c. 16. apocal.

52 In Ieſu Chriſti corpore vita noſtra conſiſtit, ſicut ipſe *Dominus* noſter dixit: Niſi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam. Nam ſi non mutat vitam, ad iudicium accipiet vitam, & magis ex ipſa corrumpitur, quàm ſanatur, magis occiditur, quàm vivificatur. Idem ſerm. 6.

Quis

53 Quis mihi tribuat adiutorem, ut deſiderium meũ Omnipotens audiat? Iob. 31. Et quem nimirum niſi unigenitum Dei Filium contemplatur, qui humanam naturam in hac mortalitate laborantem, dum ſuſcepit, adiuvit? Greg. lib. 22. moral. cap. 18.

54 Si qui regiam purpuram coinquinant, haud ſecus puniuntur: quid mirum, ſi qui immunda conſcientia Chriſti corpus accipiunt, idem ſupplicium ſubeant, quod qui eum clavis cruci affixerunt? Chryſ. hom. 45. in Ioan.

55 Magna vis charitatis, ab omnibus ſeparat, & amato animam affigit: ſi Chriſtum Ieſum ſic dilexerimus, omnia præſentia umbra, omnia, imago videbuntur, & ſomnium. Idem. hom. 66. ad populum.

56 Non dedignatur eſſe ſpes miſerorum miſericors, & miſerator Dominus, non ſeipſum liberatorem ſimul & protectorem in ſe ſperantibus exhibere recuſat. Bern. ſer. 15. in pſal. Qui habitat.

57 Qui de reſurrectione multa ſapienter noverit meditari, quomo-

dò mortem formidaverit? Quomodò eam exhorreſcat? Chryſoſt. hom. 70. ad populum.

58 Retine quod pro te factus eſt, quem non poſſis capere. Retine carnem Ieſu Chriſti, in quam leveris ægrotus, & à vulneribus latronum ſemivivus relictus, & ad ſtabulum perducaris, & ibi ſaneris. Auguſt. in pſal. 121.

59 Verbum Deus apud Deum, Verbum, per quod facta ſunt omnia: Filius Dei caro propter peccatorem, & propter iniquum, propter deſertorem, propter ſuperbum, propter perverſum Dei ſui imitatorem. Factus ille, quod tu, filius hominis, ut nos efficeremur Filij Dei. Aug. in pſal. 70. concione 2.

60 Securus opta amicitiam Ieſu Chriſti. Hoſpitari apud te vult, fac illi locum. Quid eſt fac illi locum? Noli amare teipſum, illum ama. Si te amaveris, claudis contra illum: ſi ipſum amaveris, aperis illi. Si autem aperueris, & intraverit, non peribis amando te, ſed invenieris cum amante. Idem in pſal. 131.

61 O Sapientia, quanta arte me-

den-

dendi in vino, & oleo animæ meæ ſanitatem reſtauras, fortiter ſuavis, & ſuaviter fortis. Bern. ſerm. 16. ſuper Cant.

62 Vnus militum lancea latus Ieſu aperuit; ut illic quodammodò vitæ oſtium panderetur, unde Sacramenta Eccleſiæ manaverint, ſine quibus ad vitam, quæ vera vita eſt, non intratur. Idem tract. 120. in Evang. Ioan.

63 Ieſus ſi noſtra ſpes factus non eſſet, non nos deduceret. Deducit tanquam dux, & in ſe ducit tanquam via, & ad ſe perducit tanquam patria. Ibid. in pſal. 60.

64 Propter nos Verbum Dei corpus induit, crucem pertulit, mortem excepit. Nos peccavimus, & Chriſtus Ieſus ſanguinem fudit. Nos deliquimus, & immolari Filius Dei voluit. Immortalis pro mortalibus mortuus eſt: innocens pro reis occiſus eſt: iuſtus pro peccatoribus interemptus eſt. Chryſ. ho. 2. in dictum Ioan. Vos amici mei eſtis &c.

65 Tantũ in te Ieſu Chriſti amorem, quo amore, Chriſtiane, penſabis? Tantos in te benevolentiæ fru-

ctus quo officio comparabis? Quicquid in eius obſequium erogaveris, parum eſt. Quicquid in eius ſervitutem impenderis, minus eſt. Nec ſi animam dederis, aut ſanguinem fuderis, compenſabis. Idem ibid.

66 Habeant montes intelligentię, qui jam contemplationis ſaltus dare noverunt: ſed petra ſit refugium herinacijs: quia nos parvuli, & peccatorum noſtrorum ſpinis cooperti, & ſi intelligere alta non poſſumus, in petræ noſtræ refugium, ideſt in Chriſti fide ſalvamur. Gregor. hom. 9. in Ezech.

67 Refugium Chriſtianorum Ieſus Chriſtus eſt, ubi portũ inveniunt navigantes, non naufragium. Chryſ. in pſal. 90.

68 Illa fructuoſa eſt accuſatio, ſi ſubſequuta fuerit correctio. Cæterũ quotidie ſe accuſare, & non corrigere, Deum tentare eſt. Idem in pſ. 84.

69 Tunc culpas plangimus, cùm penſare cœperimus. Sed tunc ſubtiliùs penſamus, cùm ſolicitiùs plangimus: atque ex lamentis in corde pleniùs naſcitur, quid peccantibus divina diſtrictio minatur, &c. Greg. lib. 16. mor. c. 14.

70 Vnigenitus Patris, qui ſurſum eſt firmitas Angelorum, ipſe deorsũ factus eſt redemptio hominum, Illis fortitudo ne cadant, nobis adiutorium, ut ſurgamus poſt caſum. Greg. hom. 14. in Ezech.

71 Vulnerat Dei Verbum, ſed nõ ulcerat: eſt vulnus boni amoris, ſunt vulnera charitatis. Ideoque dixit: Vulnerata charitate ego ſum. Ambroſ. lib. 3. de virgin. pag. 15.

72 Gravior adverſarius nobis culpa noſtra eſt, quæ ſolicitat ocioſos, affligit ſanos, cõtriſtat lætos, inquietat placidos, exagitat mites, excitat dormientes. Ambroſ. in pſal. 37. verſ. Non eſt ſanitas.

73 Venit Dominus Ieſus Chriſtus, qui noſtras paſſiones cruci ſuæ affigeret, peccata donaret: in cuius morte iuſtificati ſumus, ut totus mundus eius iuſtificaretur ſanguine. Idem lib. 1. de Iacob &c.

74 Non eſt, quo fugiatur à *Deo*, niſi ad *Deum*: ſi vis evadere iratum, fuge ad placatũm. Aug in pſal. 70. part. 1.

75 Et Deus quidem, qui regnum promittit, non auditur: qui gehennam,

nam autem procurat, diabolus amatur. Quid hac eſt inſania gravius? Chryſ. in pſal. 7.

76 Primum, & maximum fidei fundamentum in reſurrectionem Ieſu Chriſti credere: quicumque enim crediderit reſuſcitatum, feſtinus requirit, devotus accedit, & intima Deum mente veneratur. Ambroſ. lib. de Ioſeph. cap. 13.

77 Gloria Domino Deo noſtro, & miſericordiæ ipſius, & veritati ipſius, quia nec deſeruit nos miſericordia, facere beatos per gratiam ſuam, nec fraudavit nos veritate, quia primò veritas carne cooperta venit ad nos, & ſanavit per carnem ſuam oculum interiorem cordis noſtri, ut eam poſteà facie ad faciem videre poſſemus. Aug. in pſal. 56. in fine.

78 Vigila Chriſtiane ſub oculis Dei, ut perfecta victoria coroneris. Pugna cum diabolo, qui armatus es Chriſto, qui te deſiderat munerari. Contemne præſentia, ut percipias futura. Temporalia ſperne, ut æterna poſſis accipere. Poſſidebis cœlum, quod diabolus poſſidere non potuit: habebis paradiſum, unde inimicus

exclu-

excluſus eſt. Accipies æternitatem, quam prævaricator hoſtis amiſit. Auguſt. hom. 47. ex 50. circa finem.

79 A Deo nunquam recedamus. Patrimonium noſtrum ipſe ſit, ſalus noſtra ipſe ſit, ſpes noſtra ipſe ſit. Ipſe hìc conſolator, ibi munerator, ubiq; vivificator, & vitæ dator, non alterius vitę, ſed illius, de qua dictum eſt: ego ſum via veritas, & vita: ut & hic in lumine fidei, & ibi in lumine ſpeciei, tanquam in lumine viventium in conſpectu Domini placeamus. Auguſt. in pſal. 55. in fin.

80 Crucifixus Chriſtus inter Iudæos erat ſævientes, & videntes; Gentes abſentes erant. Quomodò viderunt? Illuminati ſunt. Vnde accedunt Gentes? Fidem ſectando, corde inhiando, charitate currendo. Pedes tui charitas tua eſt. Duos pedes habeto, noli eſſe claudus. Qui ſunt duo pedes? Duo præcepta dilectionis, Dei, & proximi. Iſtis pedibus curre ad Deum, accede ad illum. Auguſt. in pſal. 33.

81 Dominus fidelem ſuum, qui ambulat in via iuſtitiæ, & hic fovet, & adiuvat, & hic neceſſaria ſubminiſtrat,

ſtrat, & noxia reſecat. Dando conſolatur, ut permaneas, feriendo corripit ne pereas. *Dominus curam habet tui.* Securus eſto, ille proteget, qui te fecit. Ab artificis tui manu noli cadere, ſi cecideris iam à manu artificis, frangeris. Vt autem permaneas in manu artificis bona voluntas facit. Auguſt. in pſal. 39. col. antepen.

82 Paucis diebus hìc vivimus, & tranſimus. Inquilini enim hìc ſumus, habitatores in cœlo erimus. Ibi es inquilinus, unde auditurus es vocem Domini Dei tui: Migra. Nam de domo illa æterna in cœlis nemo te videbit migrare. Aug. in pſal. 60.

83 Aeſtus eſt ſeculi, ſed magna umbra eſt ſub alis Dei. Cooperiar in velamento alarum tuarũ. idem ibid.

84 Humilitas non ſit affectata, ſed cordis: nec gloriam quærens hominum, ſed animę conſcientiam. Hier. in Eſaiæ. 58.

85 Quanta vilitas delictorum? Mors enim vilis, ſed precioſa virtus. Etenim adverſarius tanquam captiva mancipia vilioris precio æſtimationis adducit. Ambroſ. lib. 7. in Lucam cap. 12.

Quiſ-

86 Quiſquis neceſſitatem ſuam minùs conſiderat, minùs ſentit incõmoda, minùs pericula pavet, minùs devotè confugit ad remedia ortæ ſalutis; minùs affectuosè ſe ſubijcit Deo, minùs fideliter pſallit: Domine refugium factus es nobis. Bernard. ſer. 3. in vigil. Nativit. Dom.

87 Sive manducamus, ſive bibimus, Chriſtum annũciemus, Chriſtum cogitemus, Chriſtum rogemus, Chriſtum loquamur, in corde noſtro ſemper, ſemper in ore ſit Chriſtus. Nota idem explicatum à Hieron. in pſal. 133. verſ. In noctibus. Ambroſ.

88 Origo fontium, & fluminũ omnium mare eſt virtutum, & ſciẽtiarum Dominus Ieſus Chriſtus. Bernard. ſerm. 13. ſuper Cant.

89 Continentia carnis cordis induſtria, voluntatis rectitudo ex illo fonte manant. Ibid.

90 Si quis callet ingenio, ſi quis nitet eloquio, ſi quis moribus placet; inde eſt. Caſta conſilia, iuſta iudicia, ſancta deſideria, nonne rivuli fontis illius ſunt? Ibid.

91 Si non potes mons eſſe, nec prævales, eſto vel collis, ut ſuper te

Chri-

Digitized by Google

Chriſtus aſcendat, & ſi tranſilit, ita tranſiliat, ut te tranſitus eius umbra cuſtodiat. Ambroſ.

92 Corpus peregrinatur locis, anima peregrinatur affectibus. Si amaveris terrā, peregrinaris à Deo. Si amaveris Deum, aſcendis ad eum. Aug. in pſ. 109.

93 Verbum Dei repulſorium tędiorum eſt, quo ſomnus animæ, ſopor mentis excluditur. Ex triſtitia enim, & ſolicitudine ſęculariū ſomnus obrepit. Ambr. in pſ. 118. octon. 4.

94 Mutuus amoris ſermo: Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, facilis quidem & communis videtur, ſed paucorum eſt. Rarus eſt enim qui hoc poteſt dicere Deo. Ille enim dicit qui adhæret Deo totis ſenſibus, & aliud cogitare non novit. Ambroſ.

95 Sub umbra Ieſu ſedere concupiſcat anima noſtra: quomodo enim nō ſumus in umbra, quos crucifixus à malignitate ſeculi, & corporis ardore defendit. Ambroſ.

96 Sed quid facimus, quia gigas ille exultat ad currendam viam? Rogemus ut trahamur, quia nemo venit, niſi tractus. Idem.

No-

97 Noli faſtidire pedes Ieſu: pedes eius ſanant, & fimbria ſanat. Et fortaſſe ideo non lavit pedes ſuos Chriſtus, ut eos lacrymis nos lavemus. Idem.

98 Si non potes accedere ad caput Chriſti, tangat pedibus ſuis caput tuum Chriſtus: priùs mulier unxit pedes Domini: poſt indulgentiam effudit ſuper caput ipſius recumbẽtis. Idem in c. 7. Luc.

99 Ieſus eſt via anguſta, quæ ducit ad ardua Hieroſolymæ & Betſaidæ, ad montem olivarum, qui eſt mons luminis, & conſolationis. Beda in cap. 10. Marci.

100 Altiſſimum poſuiſti Domine Ieſu refugium tuum. Sæpe illuc refugiamus, munitus eſt locus, nullus ibi timetur hoſtis. Bern. ſerm. 9. in pſal. Qui habitat.

101 Quod modò refugium eſt, quandoque habitaculum erit, & habitaculum ſempiternum. Ibid.

102 Interim ſanè, etſi perſiſtere non conceditur, frequenter tamen eſt recurrendum. Nempe ad omnem tribulationem, ad omnem denique cuiuſcumque modi neceſſitatẽ apertè

tè

tè eſt nobis urbs confugij. Ibid.

103 Sinus matris expanſus eſt, parata ſunt foramina petræ. Patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri. Timidis hęc petra refugium. Ibid.

104 Quando ſperanti deſit illa Maieſtas, quæ tam ſtudiosè monet in ſe ſperari? Ibid.

105 Adiuvabit eos, ait, & ſalvabit eos, quia ſperaverunt in eo. Dulcis cauſa, attamen efficax, attamen irrefragabilis. Ibid.

106 Humeri Chriſti brachia crucis ſunt: illic peccata mea depoſui; in illa nobilis patibuli cervice requievi. Ambroſ.

107 Reddamus licèt Ieſu crucem pro cruce, funus pro funere, numquid reddimus quod ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo habemus omnia? Reddamus ergo amorem pro debito, charitatem pro munere, gratiam pro ſanguinis pretio. Ibid.

108 Quoniam nihil eſt, quod dignè Deo referre poſſimus: quid enim referamus pro ſusceptæ carnis iniuria? quid pro verberibus? quid pro cruce, obitu, ſepultura? Vę mihi ſi non dilexero. ibid.

109 Si amator Dei eſſe vis, ſinceriſſimis medullis, caſtiſque ſuſpirijs ipſum dilige, ipſum ama, illi flagra, illi inhia, quo iucundius nihil invenis, quo melius, quo lætius, quo diuturnius. Aug. in pſ. 85.

110 A facie Dominicæ Maieſtatis, quæ tangit montes, & fumigāt, aſſumamus petræ fortitudinem, de qua dictum eſt: Petra refugium leporibus. Et: In petra exaltaſti me. Hieron. in c. 2. Iſaiæ.

111 O quam magnum eſt fratres, hoc ſupra petram ædificare, quàm magnum eſt. Venerunt flumina, flaverunt venti, deſcēderunt imbres, & impegerunt in domum illā, & non cecidit; fundata enim erat ſupra petram. Ergo in verbo Dei manere, eſt nullis tentationibus cedere. Aug. ſerm. 48. de verb. Domini ſecūdum Ioan. col. 2. tom. 10.

112 Abſconditur in petra qui ingreditur cubiculum ſuum, & clauſo oſtio adorat Patrem: ut in terreno corpore conſtitutus tranſeuntem mundi non ſentiat tempeſtatē. Hieron. ut ſupra.

113 Si te abſconderis in foſſa humo, non timebis à montibus cadentibus, & collibus operientibs: non enim formidat, qui eſt in foramine petræ, ubi Moyſes quoque ponitur, ut videat poſteriora Dei: & bibebat populus de ſpiritali ſequente eos petra. Denique qui biberit ex hac aqua, non pavebit gehennam ignis, & fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Reſurrectio Chriſti defunctis eſt vita, peccatoribus venia, Sanctis eſt gloria. Ambroſius in pſalm. 117.

114 Eſto mihi propitius Domine Ieſu. Quis enim alius me ſuſcitare poterit? Quis medicorum ſanare? niſi tu ſolus, ad cuius tactum fimbrię ſanitas redit. Hieronym. in Amos cap. 7.

115 Cùm deficiet ex me anima mea, & à corporis compage divelletur, da mihi Domine Ieſu non aliò cogitationem vertere, niſi ad te, qui in corpore, & extra corpus meus es Dominus. Hieronym. in Ionam. cap. 2.

116 Suſcepiſti Ieſu bone infirmi-

mitates omnium in carne tua, & erexiſti te in crucem,& verſaſti omnium infirmitates in tui corporis infirmitate. Vnde dicit Eſaias: Liuore eius nos ſanati ſumus. Ambroſ. in pſal.40.

117 Securus victoriæ propiùs tétator acceſſit; in coſta te voluit telo militis vulnerare, reputans & te,ſicut Adam, poſſe proſterni: ſed vulneratus latere vitam produxiſti è vulnere Domine Ieſu. ibid.

118 Vitæ fons Chriſtus eſt, qui dicit: Ego ſum vita. Quod enim ſine illo eſt, mortuum eſt: quod verò cum illo eſt, vita eſt. Ad vitæ fontem Chriſtus Sanctos ſuos ducit, quia ad ſemetipſũ ducit, ut ſint unum cum illo. Ambroſ. in Apoc.c.7. in fin.

119 Sicut arbor mali inter ligna ſilvæ, ita frater meus in medio filiorum. Ergo & tu ſemina in horto tuo Chriſtum, &c. Ambroſ. ponendus in Luc. cap.13.

120 O venerãda pietas Dei. Peccamus, & parcit: delinquimus, & ignoſcit: offendimus, & adhuc placatus exiſtit. Vnde qualis erga iuſtos ſit, monſtrat; dum talem ſe erga pec-

catorem oſtentat. Chryſoſt. in pſ. 106

121 Votis opus eſt, & precibus quotidianis, & advocatione Pontificis magni, de quo dicit Ioannes Evāgeliſta: Advocatum habemus apud Patrem Dominum Ieſum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Ambroſ. in pſ. 40.

122 Ieſu bone non ſufficit tibi lavare aqua ſordes filiorum, & filiarum Sion, & mundare ſanguine, niſi oleo quoque unxeris: iuxta quod Samaritanus, qui interpretatur cuſtos, ſeminecis vulnera primùm olei infuſione linivit, deinde vini auſteritate compeſcuit. Hieron. in Ezech. cap. 16.

123 Orto nobis Sole Iuſtitię, fugantur tenebræ: & ſtatim interficimus omnes cogitationes, quæ ad peccata nos provocant: & de Civitate mentis noſtræ diſperdimus. idem in Eſai. c. 5.

124 Infeliciſſimi autem ſunt, qui de mane uſque ad veſperam ebrietate, gula, & diverſis voluptatibus occupati, non intelligunt in ſe opera Domini, nec conſiderant cur creati ſunt. ibid.

125 Te adveniente Domine Ieſu diſſipatur omnis peccati nebula, tollitur rubigo culpæ, refugit criminis obſcuritas, deletur culpa; ſed ſi miſer claudo oſtium tempore accepto, tu declinas, & pertranſis. Hier. in Eſai. cap. 26.

126 Ros tuus Domine Ieſu ſanitas iuſtorum eſt, vivificabit corpora mortuorum, ſicut iactis in terra ſeminibus, ros paulatim creſcere facit herbas, & ad fruges ſui generis pervenire. Hier. in Eſai. c. 26.

127 Aufer itaque dulcis Ieſu Salvator meus, *& Deus* ſalutis meæ, à corde meo gelu, tolle ardorem, impera ventis quieſcere, ut fluat ros tuus ſuper eum, ſparſus humor fœcundet illum, & fructum afferat in patientia..

128 Sonet vox tua in auribus meis Rex meus, & Deus meus, quia loquens inquis: Ego in voce laudis, & confeſſionis immolabo tibi meipſum offerens, confitebor tibi, ut ante confeſſus ſum, dicens: Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terræ, & reddam vota, quæ fecit pro ſalute omniũ Domino, ut omne quod

dediſti mihi, non pereat inæternum. Hier. in Ioan. cap. 2.

129 Revera quiſquis benè cogitat, quid voverit Domino, & quæ vota reddat, ſeipſum voveat, ſeipſum reddat: hoc exigitur, hoc debetur. Ex Aug: in pſal. 115.

130 Nihil mali reſpiciat oculis, & factus eſt hoſtia. Nihil turpe loquatur lingua, & facta eſt oblatio. Nihil iniqui committat manus, & facta eſt holocautoma. Chryſoſt. hom. 20. in epiſt. ad Rom.

131 Cernimus, quid in ſua paſſione Salvator pro noſtra ſalute promiſerit: non faciamus mendacem Ieſum, mundi ſimus, & ab univerſis peccatorum ſordibus ſeparati: ut nos Deo Patri offerat victimas, quas voverat.

132 Aqua refectio eſt animæ in doloribus conſtitutæ, de qua dicit Eſaias: Et ſaliet aqua cum delectatione de fontibus Salvatoris. Hauriamus itaque aquas de fontibus Ieſu, nequaquam de aquis fluminis Aegypti, quæ percuſſæ ſunt: ſtudeamus carere delicijs propter Ieſu, ut potemur torrente deliciarum. Ambroſ.

broſ. in cap. 16. Lucæ, & Hieron. in cap. 12. Iſaiæ.

133 Humilitatis magiſter eſt Chriſtus, qui humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem: ſed non amittit divinitatem, quando nos docet humilitatem. Ex Beda homil. 1. de Adventu Domini.

134 Humiliato ſua ſpontè miſericordiæ Auctore, neceſſe eſt eos, qui miſericordia plurimùm indigét, humilitatis eius veſtigia quantum prævalent, imitari. ibid.

135 Omnia verba, & facta *Domini*, ac Salvatoris noſtri fixè in corde ſervemus, horum meditatione diurna, & nocturna importunos inanium, nocentiumquè cogitationum repellamus incurſus. Ex eod. homil. de Dominica infra Octauam Epiphan.

136 Crebris infantia Salvatoris, & Angelorum præconijs, & Evãgeliſtarum nobis eſt inculcata teſtimonijs, ut noſtris altiùs cordibus quid pro nobis ſit factus, infigatur. Ex eod. lib. 1. in Luc. c. 5.

137 Fide tenetur Ieſus, delectatur ſic teneri, conſtringe fideliter pe-

des eius, ut virtus de illo exeat,& ſanet animam tuam. Ambroſ.de Iſaac, &c.cap.5.

138 Apparuit benignitas,& humanitas Salvatoris noſtri Dei. Bene dulce nomen hoc mihi maximè neceſſarium fuit. Alioquin quid agerē audiens Dominum venientem? Nūquid non fugerem,ſicut Adam, qui à facie eius fugit,ſed nō effugit? Bern. ſer.1.de Epiph.Domini

139 Virga directionis Chriſtus. Accede ad iſtam virgam, ſit tibi Rex Chriſtus, regat te virga iſta, ne frangat te. Virga enim ferrea eſt illa inflexibilis. Aug.in pſ.44.

140 In quo magis commendare poterat Deus benignitatem ſuam, quàm ſuſcipiendo carnem meam. Meam, inquam, non carnem Adam, ideſt non qualem ille habuit ante culpam.ibid.

141 Quid tātopere declaret eius miſericordiam,quàm quòd ipſam ſuſcepit miſeriam?ibid.

142 Timuit Adam Dominum deambulantem,peccati ſui conſcius, tranſgreſſus eius mandatum: nonne itaque deſperarem, audiens quia venit

nit ille, cuius legem ſic prævaricatus ſum, cuius patientia ſic abuſus ſum, cuius beneficio tam ingratus inventus ſum? ibid.

143 Venit non deambulans, ſed quærens, ſaliens in montibus, tranſiliens colles, ſed confidenter accedo, quia venit in regionem noſtram, nõ ut iudicet nos, ſed ſalvet. ibid.

144 Denique parvulus eſt, leviter placari poteſt. Quis enim neſciat quia puer facilè donat. ibid.

145 Quantò minorem ſe fecit in humanitate, tantò maiorem exhibuit in bonitate: & quantò pro me viſior, tantò mihi charior eſt. ibid.

146 Noli contemnere Dei miſericordiam: ſi non ſentire vis iuſtitiam, ſed iram, ſed indignationem, ſed æmulationem, ſed furorem. ibid.

147 Multus ad ignoſcendum: multus ad ulciſcendum. Sed miſericordia quidem priora ſibi vendicat, ut ſi voluerimus, diſtrictio invenire non poſſit in quem ſæviat. ibid.

148 Regnum meum Chriſtus eſt, rapio illum Iudæis miſſum, ſublevatum ſub lege, nutritum iuxta legem, ut me, qui eram ſine lege ſal-

varet. Gratia Chriſtus eſt, vita Chriſtus eſt, Chriſtus eſt reſurrectio. Ambroſ. lib. 5. in Luc. 6.

149 Rapuit & illa vidua, quæ frequenter orando, ſi non propter innocentiam, ſaltem propter importunitatem, ut exaudiretur, extorſit. Oremus & nos ſine ceſſatione, indeſinenter petamus à Patre Filium, ut ſit nobiſcum uterque cum ſancto Spiritu ſol, radius, calor. ibid.

150 Nemo tibi Chriſtum poteſt auferre, niſi ipſe te auferas illi. Non ergo te auferat iactantia tua, non te auferat arrogantia; certum eſt enim quòd ſi nos relinquat, ſalvi eſſe nequeamus. ibid.

151 Qui domicilio Chriſtum recipit interno, maximis delectationibus exuberantium paſcitur voluptatum. Itaque Dominus libenter ingreditur, & in eius, qui credit, recũbit affectu. ibid.

152 Ille parvulus, ille infantulus fuit, ut tu vir poſſis eſſe perfectus. Ille involutus pannis, ut tu mortis laqueis ſis abſolutus. Ille in præſepibus, ut tu in altaribus. Ille in terris, ut tu in cœlis. Ille locum in diverſorio

non

non habebat, ut tu plures haberes in cœleſtibus manſiones. Ex eod. lib. 2. in Luc. c. 2.

153 Paupertas Chriſti Ieſu meũ patrimonium eſt, & infirmitas Domini mea eſt virtus. Maluit ſibi egere, ut omnibus abundaret. Me illius infantis vagiẽtis abluunt fletus, mea lacrymæ illæ delicta laverunt. Ex Ambroſ. ibid.

154 Plus igitur Domine Ieſu iniurijs tuis debeo, quòd redemptus sũ, quàm operibus, quòd creatus ſum. Non prodeſſet naſci, niſi redimi profuiſſet. Ex eod. ibid.

155 Ieſus victor, & victima, & Deo victor, quia victima pro nobis tibi, Sacerdos ſacrificiũ, & ideo Sacerdos quia ſacrificium. Aug. lib. 1. medit. c. 13.

156 Meritò mihi ſpes valida in illo eſt, quia ſanabis omnes languores meos per eum, qui ſedet ad dexteram tuam, & interpellat pro nobis. ibid.

157 Chriſtus nobis modò caput gubernat nos modò de ſuperis, amplectetur ſecum in illa civitate, cùm æquales erimus Angelis Dei.

Hoc ergo concupiſcite Fratres, hoc die, noctuque cogitate (Vtinam infigatur cordi meo hæc ſuavis, & devota conſideratio.)

158 Quid deliquit homo, quod non redemerit Filius Dei factus homo? Quæ tanta ſuperbia tumeret, quam non tanta humilitas ſterneret? Quodnam tantum mortis imperiũ, quòd nati Dei non deſtrueret crucis ſupplicium. Aug. lib. 1. med. c. 8.

159 Omnis ſpes, & totius fiduciæ certitudo mihi eſt in precioſo sãguine Ieſu, qui effuſus eſt propter nos & propter noſtram ſalutem. In ipſo reſpiro, & in ipſo confiſus ad te, Deus pervenire deſidero, non habẽs meam iuſtitiam, ſed eam quæ eſt in Filio tuo Domino & Salvatore noſtro Ieſu Chriſto. ibid. c. 14.

160 Docuit me Ieſus Chriſtus in baptiſmate ſuo, qua ratione poſſim terrenis concretam vitijs obnoxiæ carnis illuviem ſepelire criminibus, renovare virtutibus. O verè divinam in ipſa humilitate Domini proſpicientiam. Ambr. in c. 3. Luc.

161 Quantò enim abiectior humilitas, tantò divinior providentia. ibid.

Pro-

162 Proſpexit Deus ex alto, ut veniret ad humiles; & ex alto factus eſt humilis, ut exaltaret humiles. Auguſt. in pſ. 101. conc. 1. in fin.

163 Venit Dominus Ieſus, qui noſtras paſſiones cruci ſuę affigeret, peccata donaret: in cuius morte, iuſtificati ſumus, ut totus mundus eius mundaretur ſanguine. Ambroſ. lib. de Iacob. &c. c. 5.

164 Iniuriarum ſuarum acerbitate Deus proditur, & remediorum ſuorum vſu, qui nullis remedijs indigeret, Deus probatur. Si pro nobis Chriſtus lavit, immò nos in corpore ſuo lavit, quantò magis nos noſtra delicta lavare debemus. Dilige itaq. & adora Dominum, qui præceptis te inſtruit, & exemplis. Noli raptim, noli perfunctoriè meditari hæc, & loqui, ſed animo revolve, recogita corde: ſi citò nō refers fructum, perſevera fideliter. Ambroſ. in c. 3. Luc.

165 Agnus Dei planè totus ſuavis, totus delectabilis, denique totus unctus. Hanc enim interpretationē habet nomen eius, quod eſt Chriſtus. Ex Bernard. in vigil. Natal. Domini, ſerm. 4.

Agnus

166 Agnus Dei, Agnus ſine macula, qui tollit peccata mundi: quis enim peccata melius tolleret, quàm is, in quem peccatum non cadit? Iſte ſine dubio lavare me poteſt, quem conſtat inquinatum non eſſe. Inclama eum, & dic: Salva me, pereo; nec dubites quin præſtet tibi manum, & ſalvet. ibid.

167 Lęva Ieſu ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Lęva quidem levat, dextera ſuſcipit. Lęva medetur & iuſtificat, dextera amplectitur, & beatificat. In lęva eius merita, in dextera verò præmia continentur. In dextera deliciæ, in ſiniſtra ſunt medicinæ. Sive ergo ſanus es, ſive æger peccator, ſive iuſtus, cõfuge ad Ieſum. ibid.

168 Nihil quæſo, Ieſu pie, ſine te mihi dulceſcat, nihil complaceat, nil precioſum, nil præter te mihi arrideat ſpecioſum, vileſcant, obſecro, abſque te mihi omnia, ſordeant univerſa. Aug. lib. 1. med. c. 7.

169 Quod tibi adverſum eſt, ſit mihi moleſtũ: & tuum beneplacitũ mihi indeficiens deſiderium. Tędeat me gaudere ſine te: & delectet contri-

triſtari pro te. Sit obedire tibi, mihi amabile; reſiſtere tibi, execrabile. ibid.

170 Domine Pater & Deus vitæ meę credo à te miſſam deitatem, meā ſuſcepiſſe humanitatem, in qua dignum duxit alapas, vincula, ſputa, irriſiones perferre, necnon crucem, clavos, telumq. ſuſcipere. ibid. c. 8.

171 Cum in hoc mundo ſum, dixit Dominus Ieſus, Lux ſum mundi. Hoc eſt omnes poſſunt videre qui cœci ſunt, ſi me lumen requirāt. Ambroſ. ep. 45. lib. 5.

172 Qui Chriſtum timet, non timori eſt ſubditus, ſed devotioni. Pietatis hic timor, non infirmitatis eſt. Ambr. in pſ. 118. octon. 6.

173 Mitis es tolerās me: ex ægritudine deflua cura, & ſtabo: confirma, & firmus ero. Donec autem facias, toleras me, quia tu ſuavis es Domine, & mitis. Ex Aug. in pſ. 85.

174 Si Iudex ſolùm eſſe velles, & miſericors eſſe nolles, obſervares omnes iniquitates noſtras, & quæreres eas, quis ſuſtineret? quis ante te ſtaret, & diceret, Innocens ſum? Quis ſtaret in iudicio tuo? ſpes ergo vna eſt: Quoniam apud te eſt propitiatio.

Au-

Auguſt. in pſal. 128.

175 Non regionibus longè eſt quiſque à Deo, ſed affectibus. Amas Deum, prope es: odiſti Deum, longè es: uno loco ſtans, & prope es, & non es. Aug. in pſ. 84.

176 Tu Ieſu melle dulcior, lacte & nive candidior, nectare ſuavior, gemmis & auro precioſior, cunctiſq. terrarum divitijs & honoribus mihi charior. Aug. lib. 1. med. c. 35.

177 Veniat mihi tui ſaporis miræ & inenarrabilis fragrantia, quæ ſempiternas in me ſuſcitet concupiſcentias, & ex corde meo producat venas ſalientis aquæ in vitam æternam. ibi.

178 In te delectatur iuſtus, quia amor tuus ſuavis eſt, & quietus: nam pectora, quæ poſſides, dulcedine & ſuavitate & tranquillitate reples. ibi.

179 Pulchrè itaque magiſter verax & Ieſu bone rogabant te Apoſtoli ſervi prudentes & fideles, ut poſſideres eos: ea eſt enim ſola poſſeſſio, quæ nullis obnoxia tempeſtatibus, perpetuæ gratiæ ferat fructus. Ambr. de Abel & Cain lib. 2.

180 E contra amor ſeculi & carnis anxius eſt, & perturbatus, animas

certè quas ingreditur, quietas eſſe non patitur: ſemper enim ſuſpicionibus & perturbationibus, varijſque timoribus ſolicitat eos. Aug. ibid.

181 Et tamen ſeculi amorem ſectamur, ſuper ſpiritualibus quodammodo nauſeamus. Dulcis Chriſte, bone Ieſu, reple ſemper quæſo cor meum inextinguibili dilectione tua, continua recordatione tua; adeo ut, ſicut flamma urens, totus ardeam in tui amoris dulcedine, quem & aquæ multæ in me nunquam poſſint extinguere. ibid.

182 Dulcis Chriſte, bone Ieſu; theſaurus totius deſiderabilis, omni ſuavitate ſuavior, charitas Deus meus, accende me totum igne tuo, amore tuo, ſuavitate, & dulcedine tua, iucunditate & exultatione tua, voluptate, & concupiſcentia tua. ibi.

183 Habent hæc infima ſuas delectationes, ſuoſque amores, non tamen tali modo delectãt ſicut tu Deus noſter. ibid.

184 Via Dei quæ eſt? Ego ſum via, & veritas. Hoc Salvator dicit. Via ergo Dei Filius eſt: via autem Dei non eſt niſi in ſancto. Volumus

ut

ut Chriſtus habitet in nobis, ſimus ſancti; Dei enim via in ſancto eſt. Hieron. in pſ. 76.

185 Gratias agamus duci noſtro Ieſu: illo enim duce, illo pugnante, nos vincimus: verè Salvator: ſalvavit enim nos, & eduxit de deſerto, & induxit in terram repromiſſionis, cui ſit gloria in ſecula ſeculorum. Amen. ibid.

186 Ipſe Ieſus dux noſter gladiũ tenet, & ſemper nos præcedit, & pugnat pro nobis, & vincit adverſarios, & ſeptem diebus circuivimus Ierico, hoc eſt iſtum mundum. ibid.

187 Quotidie loquitur ad mare: Tace, obmuteſce. Dominus te mitigat, ut nos per iſtud ſeculum tranſire poſſimus. Ille venit fons vitæ ut dulcoraret mare. Mare amarum, mare mortuum. ibid.

188 Propterea iuxta Ezechielem. Egreditur de templo Domini fons aquæ vivæ, & vadit ad mare mortuũ, quod nihil habebat vivẽs. Nulli enim piſciculi eſſe poterant in mari mortuo: nihil vivebat in mari mortuo. De templo Domini, hoc eſt de ſinu eius egreſſus eſt Salvator, & dulcoravit

mare

mare mortuum, & amaras aquas. ibid.

189 Expeto Domine Ieſu ut mea peccata abluas fonte miſericordiæ, qui non vis in æternum peccati vulnera reſervare: tu potes plus mihi remittere, quàm ego intelligam rogare. idem in pſ. 50.

190 Vtinam nos in hoc ſeculo poneremus ante nos peccata noſtra, & non tu Deus noſter ea in iudicio ſtatueres ante faciem noſtram, ubi iam non caſtigatio, ſed iudicium mortis accedit. idem in pſ. 49.

191 Nõ ergo falli poteſt qui ubique eſt, ſed placari. Adeſt iudicij dies, ſi non vis comprehendi, quotidie time, quotidie fuge. Ambr.

192 Nomen tuum Ieſu, tum Inferis, tum morbis & vitijs terrori eſt: ex eo itaque ornatum nobis, vireſq. vendicemus. Chryſoſt. ſerm. de laude Dei, col. 3. tom. 5.

193 Chriſti Ieſu Domini noſtri & crucis virtus noſtra ſunt carmina, quæ non ſolùm draconem, ideſt diabolum ſuis è latebris educent, in ignemque impingent: verùm, vel ſi qua nobis inhæſerint ulcera, ſanabunt. ibid.

Non

194 Non eſuriet Dominus, cùm non obſequitur ſervus: non ſitiet Chriſtus, dum non obtemperat Chriſtianus. Sagina Domini officia ſunt ſervi. Tu operaris, & Dominus paſcitur: tu obſequeris, & Dei Filius ſaginatur. Ex eod hom. 25. ex varijs locis in Matth. tom. 2. col. 2.

195 Quid eſurit in homine Dominus, quidve ab eo ſibi deſiderat exhiberi, niſi quod ipſe Deo Patri exhibuit? Meus, inquit, cibus, & potus meus eſt ut faciam voluntatem eius, qui miſit me. ibid.

196 O ſapientia, quanta arte medendi in vino & oleo animæ meæ ſanitatem reſtauras, fortiter ſuavis, & ſuaviter fortis. Fortis pro me, & ſuavis mihi. Bern. ſerm. 16. in Cant. circa finem.

197 *D*enique attingis à fine uſq; ad finem fortiter, & diſponis omnia ſuaviter, propellens inimicum, & infirmum fovens. Sana me Domine, & ſanabor; pſallam, & confitebor nomini tuo, & dicam: Oleum effuſum nomen tuum. ibid.

198 Non vinum effuſum; nolo enim ut intres in iudicium cum ſer-

vo

vo tuo: ſed oleum, quia coronas me in miſericordia, & miſerationibus. ibid.

199 Oleum planè, quod dum ſupernatat cunctis, quibus immiſcetur liquoribus, liquidò illud deſignat nomen, quod eſt ſuper omne nomen. ibid.

200 O nomen præſuave, & prædulce. O nomen præclarum, præelectum, & præexcelſum, & ſuperexaltatum in ſecula.

201 Ieſus Chriſtus
Corpus ſuum
D.Th.) In cibum, &
op.57.) Sanguinem ſuum
In potum, ſub
Specie panis, &
Vini ſumendum
Fidelibus dereliquit.

202 Quis fidelium habere dubiũ poſſit, in ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Ieſu Chriſti myſterio, Angelorũ choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrena cœleſtibus iungi, unum ex viſibilibus, atque inviſibilibus fieri? Ex Greg. Mag. lib. 4. dialog. c. 58.

203 Sed neceſſe eſt, ut cùm hæc agi-

agimus, noſmetipſos Deo in cordis contritione mactemus. Et qui paſſionis Dominicæ myſterium celebramus, debemus imitari quod agimus. (Tunc ergo verè pro nobis Deo hoſtia erit, cùm noſipſos *D*eo hoſtiam fecerimus.) ibid.

204 Accedamus ad *D*ominum Noſtrum Ieſum Chriſtum ut illuminemur, non quomodo ad eum acceſſerunt Iudæi, ut tenebrarentur. Aug. hom. 2. in pſ. 33.

205 Acceſſerunt enim illi ad illum ut crucifigerent, nos ad eum accedamus, ut corpus, & ſanguinem eius accipiamus. ibid.

206 Illi de Crucifixo tenebrati ſunt, nos manducando Crucifixum, & bibendo illuminamur. ibid.

207 Verè magnus Dominus, & magna miſericordia eius verè, qui nobis dedit corpus ſuum manducare, in quo tanta perpeſſus eſt, & ſanguinem ſuum bibere. Ibid. poſt pauca.

208 Chriſtus Ieſus cùm in forma Dei ſacrificium cum Patre ſumat, cum quo & vnus Deus eſt, tamen in forma ſervi ſacrificium maluit eſſe,

quàm

Digitized by Google

quàm ſumere, ne vel hac occaſione quiſquam exiſtimaret cuilibet ſacrificandum eſſe creaturæ. Per hoc & ſacerdos eſt ipſe offerēs, ipſe & oblatio. Aug. lib. 10. de civit. Dei c. 20.

209 Hāc Ieſu Filij Dei verè adorandam carnem, B. Chryſoſt. admirans, ait: O miraculum, ò Dei benignitatem: qui cùm Patre ſurſum ſedet, in illo ipſo tēporis articulo omnium manibus pertractatur, ac ſeipſe tradit volentibus ipſum excipere, ac complecti. De ſacerd. lib. 3 col. 3.

210 Cùm Sacerdos Spiritum ſanctum invocaverit, ſacrificiumque illud horrore, ac reverentia pleniſſimū perfecerit, communi omnium Domino manibus aſſiduè pertractato, quæro ex te quoto illum in ordine collocabimus? Quantam autem ab eo integritatem exigemus, quantam religionem? Ibid. lib. 6. col. 6.

211 Conſidera enim quales manus illa adminiſtrātes eſſe oporteat: qualem linguam; quæ verba illa effundat. ibid.

212 Qua denique re non puriorem, ſanctioremve eſſe cōveniat animam, quæ tantum illum, tamque dignum

gnum ſpiritum receperit. ibid.

213 Per id tempus & Angeli Sacerdoti aſſident, & cœleſtium Poteſtatum univerſus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur, Angelorũ choris plenus eſt. ibid.

214 Suſcepit Ieſus de terra terrã, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Aug. in pſ. 98. col. 9.

215 Et quia in ipſa carne hic ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, niſi priùs adoraverit, inventum eſt quẽadmodum adoretur, tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando. ibid.

216 Viderunt Iudęi Chriſtum ſuo ſcelere morientem, & crediderunt in Chriſtum ſuis ſceleribus ignoſcẽtem: ſed quouſque biberent ſanguinem, quem fuderant, de ſua ſalute deſperaverant. Conſidera virtutem dominici corporis, & ſanguinis. Etiã ijs, qui malignè eum fuderant, confidentiam attulerit & ſalutem, quam an-

ante communionem Sacraméti huius ineffabilis omnino deſperaverãt: Confide igitur anima fidelis, accede ad hoc convivium, quamvis lethali culpa iterum Chriſtum Ieſum crucifixeris in corde tuo: ſed priùs pœnitentiam age. ibid. in Evangel. Ioan. tract. 31. col. 6.

217 Dominus Ieſus dedit nobis panem verum; ipſe conviva, & convivium; ipſe comedens, & qui comeditur: illius bibimus ſanguinem, & ſine ipſo potare non poſſumus: & quotidie in ſacrificijs eius de genimine vitis veræ, & vineæ Sorech, quæ interpretatur electa, rubentia muſta calcamus: & novum ex his vinum bibimus in Regno Patris, nequaquam in vetuſtate literæ, ſed in novitate ſpiritus; cantantes canticũ novum, quod nemo poteſt cantare, niſi in Regno Eccleſiæ, quod Regnũ Patris eſt. Ex Hieron. in epiſt. ad Edibiam q. 2.

218 Aſcendamus cum Domino cœnaculum magnum ſtratum, atque mundatum: & accipiamus ab eo ſurſum calicem novi teſtamenti: ibique cum eo paſcha celebrantes, inebrie-

mur ab eo vino ſobrietatis. Nō enim eſt Regnum Dei cibus, & potus, ſed iuſtitia & gaudium & pax in Spiritu ſancto. ibid.

219 Quibus verbis illuſtrius, ac clarius de veritate Corporis, & ſanguinis Chriſti dici nil potuit: quid devotiùs atque ad inflammandum corda fidelium efficaciùs?

220 Dicat accedens ad Sancta Sanctorum, & attingens hoc myſterium ſacroſanctum: Da mihi Spiritū ſanctum tuum Domine Deus creator, & gubernator rerum omnium, amator animarum, ignem non elementarem, ſed eum, qui comprehendi non poteſt, qui ſeverè conſumit & cōburit inventiones iniquas, & mortificat membra terrena, corporea, & exedit altiſſima quæque, & coercet ſpiritales commotiones mentis, quæ trahunt eam ad phantaſmata, ac turbulenta. Cyrill. in miſſa.

221 Recogita frequenter quantæ ſint in Sacramento uno virtutes: quàm glorioſa, atque utilia operetur Dominus Ieſus in com-

communicatione corporis, & ſanguinis ſui: profectò qui Chriſtum manducant, temporaliter moriuntur: ſed vivuntin æternum, quia Chriſtus eſt vita æterna benedictus in ſecula. Amen.

222 Nos in ſpecie panis & vini quam videmus, res inviſibiles, ideſt, carnem Chriſti, & ſanguinem honoramus: ſed in iſta carne & ſanguine, nil cruentum, nil corruptibile mens humana concipiat: ſed vivificatricem ſubſtantiam atque ſalvatricem, & ipſius Verbi propriam factam in pane & vino, per quæ, ſi dignè ſumantur, nobis eſt peccatorum remiſſio collata. Caſſiod. in pſ. 109. verſ. Tu es Sacerdos in æternum, &c.

223 Calicem myſticum ſanguinis ad tuitionem corporis, & animæ noſtræ percipimus: quia ſanguis *Domini* ſanguinem noſtrum redemit, ideſt, totum hominem ſalvum fecit: caro enim Salvatoris pro ſalute corporis, ſanguis verò pro anima noſtra effuſus eſt. (Expende vt percipias, & quantum prævales, accendaris in amore Redemptoris.) Ambr. in ep. 1.

ad Cor.c.11.circa fin.

224 Quis tam ſanctus & iuſtus ſacerdos, quàm unicus Filius Dei? Et quid tàm gratè offerri & ſuſcipi poſſet, quàm caro ſacrificij noſtri, corpus effectum Sacerdotis noſtri? Vt quoniam quatuor conſiderantur in omni ſacrificio; cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur: idem unus ipſe, veruſque mediator per ſacrificium pacis recõcilians nos Deo, unum cum illo maneret, cui offerebat, unum in ſe faceret, pro quibus offerebat, unus ipſe eſſet qui offerebat, & quod offerebat. Aug.lib.4.de Trin.c.14.

225 Aliter in Eccleſia Dei, quæ corpus eſt Chriſti, nec rata ſunt ſacerdotia, nec vera ſacrificia, niſi in noſtræ proprietate naturæ, verus nos Pontifex reconciliet, verus immaculati Agni ſanguis emundet: qui, licèt in Patris ſit dextera conſtitutus, in eadem tamen carne, quam ſumpſit ex Virgine, ſacramentum propitiationis exequitur. Leo Magn. ep. Anatol. Epiſc. quæ eſt 24.

226 Inviſibilis Sacerdos viſibiles crea-

creaturas in ſubſtantiam corporis,& ſanguinis ſui, verbo ſuo, ſecreta poteſtate convertit, ita dicens; Accipite & comedite: Hoc eſt enim corpus meum: & repetita ſanctificatione; Accipite, & bibite; Hic eſt ſanguis meus. Euſeb. Emiſſen. homil. 5. de Paſcha.

227 Ergo ſicut ad nutum præcipientis, repentè ex nihilo ſubſtiterũt excelſa cœlorum, profunda fluctuũ, vaſta terrarum: pari potentia in ſpiritualibus Sacramentis, ubi præcipit virtus, ſervit effectus. ibid.

228 Cùm ad reverendum altare cibis ſatiandus aſcendis: ſacrum Dei tui corpus, & ſanguinem fide reſpice, mente continge, honora; mirare, cordis manu ſuſcipe, & maximè hauſtu interiori aſſume; lynceos enim oculos habet fides. Cognoſcit Dei Filium lactentem, cognoſcit in ligno pendentem, cognoſcit morientem. Bernard. ſerm. 2. in Epiphan. Dom.

229 Non ſolùm lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, quando ſanguinem ſuum Ieſus Chriſtus fudit in cruce: verùm etiam quotidie lavat nos in ſanguine ſuo à peccatis

noſtris, cùm eiuſdem beatæ paſſionis memoria ad altare replicatur, cùm panis, & vini creatura in Sacramentum carnis & ſanguinis, eius ineffabilis ſpiritus transfertur ſanctificatione: ſicque corpus & ſanguis illius non infidelium manibus ad perniciē ipſorum funditur, & occiditur, ſed ñ-delium ore ſuam ſumitur in ſalutē. Ex Beda in hom.

230 Vnde tibi ò humana anima tam inæſtimabilis gloria, ut eius ſponſa merearis eſſe, in quem deſiderant Angeli proſpicere? Vnde tibi hoc, ut ipſe Sponſus tuus, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur: ad cuius nutum univerſa mutantur? Bern. ſer. 2. Dominic. 1. poſt Octau. Epiphan.

231 Quid retribues Domino pro omnibus, quæ retribuit tibi, ut ſis ſocia menſæ, ſocia regni, ſocia denique thalami, ut introducat te Rex in cubiculum ſuum. ibid.

232 Vide quibus brachijs vicariȩ charitatis redamandus & amplectēdus ſit, qui tanti te æſtimavit, imò qui tanti te fecit: de latere enim ſuo reformavit, quando propter te obdor-

dormivit in cruce, & ob hoc ſomnũ mortis excepit. ibid.

233 Nihil arbitratus ſum me ſcire inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Totus ſuavis eſt, totus ſalubris eſt, totus delectabilis, totus denique ſecundùm ſponſæ vocem deſiderabilis.

234 Deus præſtat nobis cogitationes optimas, placida conſilia, tranquillas inventiones; quicquid enim ſanctum cogitaveris, hoc Dei munus eſt, Dei inſpiratio, Dei gratia. Ambr. lib. 1. de Abel & Cain. (Ieſus Chriſtus omnium Dominus cõſtitutus à Deo Iudex vivorum, & mortuorum. Act. 10.

235 Duplex timor ſit in corde noſtro, nè fortè, ſcilicet, trudi in gehennam, nè fortè ab æterna vita cõtingat excludi. Bern. ibid. ſerm. 1.

236 Non parvam putas eſſe pœnam in choro non conſtitui, ineffabilem gloriam nõ aſſequi, ab illo cœtu, & ineffabilibus bonis procul abijci? Chryſoſt. homil. 10. in 2. ad Cor. in moral.

237 Quando autem & tenebræ erunt, & ſtridor dentium, & vincula

inſolubilia, & vermis immortalis,& ignis inextinguibilis, & tribulatio,& anguſtia,& linguæ, quæ cruciantur, ſicut illa divitis? ibid.

238 Et ploramus,& nullus audit; & ingemiſcimus, & rigamur à doloribus,& nullus attendit; & in omnia loca reſpicimus, & nuſquam adeſt, qui conſoletur? quo loco ordinabimus qui ſic habent, quid animabus illis miſerius? Quid item miſerabilius? ibid.

239 Ibi non eſt qui audeat patrocinari; futurum enim tunc eſt,ut naturalis compaſſio tollatur; etiam ſi Noe, ſive Iob, ſive Daniel affuerit, & ſuos viderit puniri: illi namque contra ſua viſcera cum Domino indignantur. ibid.

240 Nemo mittens manum in aratrum,& reſpiciens retro,aptus eſt regno cœlorum. Ocioſus in villa ſedet,laborioſus in agro ſeminat: debilis ad focum,fortis ad aratrum. Bonus odor agri; odor enim Iacob, odor agri pleni. Ager plenus eſt florum, plenus eſt fructuum diverſorũ. Ara igitur agrum tuum, ſi vis dirigi ad Dei regnum. Ambr. libr. 8. in Luc. cap. 17.

Flo-

241 Floreat tibi bonorum ſeges fœcunda meritorum, ſit vitis abundans in lateribus domus tuæ, & novella olivarum in circuitu menſæ tuæ. Dicat anima tua Chriſto, fertilitatis ſuæ conſcia, & ſeminata Dei verbo, ſpiritalibus quoque inarata culturis; Veni frater meus, exeamus in agrum. Illa reſpondeat; Introivi in hortum meum, ſoror mea ſponſa, vindemiavi myrrham meam.

242 Ieſus vitis ſicut homo, agricola tamquam Deus; felix qui invitare poſſit Dominum in villam animæ ſuæ, ut flores colligat, & fructus: tunc lætus Iudicem expectat; non formidat ſeveritatem eius, quem amicum fuerit expertus, ac penè domeſticum, ſimulque cum eo dulces ſumpſerit cibos.

243 Empti enim eſtis pretio magno. Et bene magno, quod non æſtimatur ære, ſed ſanguine: quia pro nobis mortuus eſt Chriſtus, qui precioſo nos ſanguine liberavit. Ambr. lib. 7. in Evang. Luc. cap. 12.

144 Et bene precioſo, quia imma-

Digitized by Google

culati corporis ſanguis eſt, quia ſanguis eſt Filij Dei, qui non ſolùm de maledicto legis, ſed etiam de impietatis morte perpetua nos redemit.

245 Refert verò conſiderare (quia ſecundum Marcum, crucifigentes eum diviſerũt veſtimenta eius,) qualis crucem Ieſus aſcendat. Nudus aſcendit. Nudum ecce video. Talis ergo aſcendat, qui ſeculum vincere parat, ut ſeculi adiumenta non quærat. id. ibid. c. 23.

246 Vt non ſibi ſoli, ſed omnibus vinceret, manus in cruce Ieſus extendit, quo omnia ad ſe traheret: ut nodo mortis exuta, iugo fidei ſuſpenſa, cœleſtibus, ea quæ priùs erant terrena ſociaret. ibid.

247 Operari me oportet in ſepultura eius: ut caro eius requieviſſe, nõ corruptionem vidiſſe credatur: & mors corporis eius, ita domum noſtram odore ſui compleat, ut credamus, quia in manus Patris commendavit ſpiritum ſuum Ieſus, & à morte ſequeſtrata divinitas, corporalium non ſubijt conſortium paſſionum.

Id.

Id.ibid.lib.6.c.7.circa fin.

248 Intellige quemadmodū corpus Filij Dei unguentum oleat. Corpus illud eſt, quod exutum eſt, non quod amiſſum eſt. Corpus eius traditiones ſunt ſcripturarū. Corpus eius Eccleſia eſt. Corporis eius odor ſumus; & ideo docet, ut mortem corporis eius ornemus. ibid.

249 Satis dulcis eſt charitas. Deus charitas eſt. Quid dulcius Deo? O quàm felix, & beata eſt anima, quæ charitaté in ſe habère meretur. Aug. ſer.42. de tempore alias ſerm.2. dom. 2. poſt octau. Epiph.

250 Charitas ſitienti potus eſt, eſurienti cibus, in amaritudine poſitis dulcedo, in triſtitia conſtitutis vera, & grata conſolatio, fluctuantibus portus, errantium via, peregrinantibus patria. ibid.

251 Qui habet charitatem, Deus in illo manet, & ipſe in Deo. Si charitatem habes, Deum habes. Quid habet dives, ſi charitatem non habet? Pauper ſi charitatem habeat, quid nō habet? idem ſerm. 1. dominic. 3. poſt Epiphan. aliàs ſer. 44. de temp.

252 Vna, & ſola eſt contempla-

tio Dei, cui meritò omnia iuſtificationum merita, univerſa virtutum ſtudia poſtponuntur. id.ſer.3.dom.2. poſt octa. Epiphan. aliàs 43. de temp.

253 Chriſtus ſemetipſum exinanivit: qui hoc ſcit, quando ſuperbire poterit? Quid enim habet homo, quod à Deo non acceperit? Non ergo ſuperbiat. Chryſ hom.17. in ep.1. ad Timoth.

254 Ipſe Ieſus pedes diſcipulorũ lavit: qui hoc novit, quando ſuperbiet? Idcirco ait; Cùm feceritis omnia, dicite; ſervi inutiles ſumus. ibid.

255 Publicanus ſola ex humilitate complacuit; Phariſæum iactantia perdidit: qui ergo inflatus eſt, nihil horum novit. ibid.

256 Caveat unuſquiſque eorum ignorantiam, quæ oportet ſcire: ex ea enim faſtus oritur, anima tumet, inflatur ſpiritus. Væ autem nobis, qui ſcientes Ieſu Chriſti humilitatem, adhuc extollimur: humiliato capiti non aptantur membra ſuperba.

257 Gradus affectus ſunt, iter tuum voluntas tua eſt. Amando aſcẽdis, negligendo deſcendis. Stans in terra, in cœlo es, ſi diligas *D*eũ. Aug. in pſ. 85. Spi-

258 Spiritum nolite extringuere: is enim angore animi, & negligentia extinguitur: vigilãtia verò, & intentione ſuſcitatur. Chryſoſt. hom. 1. in ſecundam ad Timot.

259 Si ineſt intra te, cæterùm tu vehementiorem illum efficere ſtude: hoc eſt, maiorem in dies aſſume confidentiam, ampliorique gaudio, & exultatione perfundere. ibid.

260 Quis invocavit Dominũ, & derelictus eſt ab eo? quis ſperavit in eum, & deſertus eſt ab eo. Aug. in pſal. 63. circa principium.

261 Non timeam eum, qui corpus occidit, ſed timeam eum, qui habet poteſtatem, & corpus, & animam occidere in gehennam ignis. Non enim à timore volo eſſe immunis, ſed à timore inimici liber, ſub timore Domini ſeruus. ibid.

262 O homo cor tuum ſit potiùs arca Dei, ubi habitent divitiæ Dei, ubi ſit nummus Dei mens tua, habẽs imaginem Imperatoris tui. ibid. col. 7.

263 Quoniam in me ſperavit, liberabo eum. Dulciſſima liberalitas, in ſe ſperantibus non deeſſe: hoc enim totum hominis meritum, ſi totam

ſpem

ſpem ſuam ponat in eo, qui totũ hominem ſalvum fecit. Ber.ſerm.15. in pſal. Qui habitat.

264 Quis enim ſperavit in eo, & confuſus eſt? Sperate in eo omnis cõgregatio populi. Quemcumque enim locum calcaverit pes veſter, veſter erit. Pes veſter utique ſpes veſtra eſt, & quantumcumque illa proceſſerit, obtinebit, ſi tamen in Deum tota figatur, ut firma ſit, & non titubet. ibid.

265 Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Nõ novit nomẽ eius, qui illud aſſumit in vanum, qui dicit ei: Domine Domine, & nõ facit, quæ dicit ipſe. Non novit nomen eius, qui eum nec honorat ut Patrem, nec ut Dominum timet. Nõ novit nomen eius, qui ad vanitates, & inſanias falſas convertitur. ibid.

266 Hoc nomen cognoverat, qui dicebat: Non enim eſt aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat ſalvos fieri. Vtique nomen Ieſu, nomen Salvatoris. Ideo deſcendit Verbum Dei, ut prope ſit his, qui tribulato ſunt corde, ut nobiſcum ſit in tribulatione noſtra. ibid.

Quæ-

Digitized by Google

267 Quærite Dominum, & vivet anima veſtra. Et anima, inquit, illi vivet, quæ mundo mortua eſt. Quæ enim mundo vivit, nō illi vivit. idem ſer. de triplici cohærentia in fin.

268 Quis non brevi tempore cō-triſtari exoptet, ut in æternum lætitia ſempiterna cū Chriſto triumphet? Quis non brevi tempore contriſtari, & præſentis temporis fletus penſare gaudio futuro deſideret? Exiguum ſiquidem, momentaneum, & breve eſt quicquid boni, malive in ſeculo eſt. Aug. lib. 50. humiliar. homil. 56.

269 Cùm in aliquo ſumus adverſus inimicos Dei certamine conſtituti, Dei imploremus auxilium: ipſi peccata noſtra fateamur, & tunc maximè cùm urgemur, & terimur: cum dolore, & amaritudine proſternamur, ne tacuiſſe videamur, quo medicina citiùs noſtris vulneribus deferatur, ut ſanati adverſario reſiſtamus. Quomodò enim poteſt congredi vulneratus? Ambroſ. in pſal. 40. verſic. Ego dixi Domine miſerere mei &c.

270 Sit miles Chriſti armatus, ſit ſolicitus, de *Deo* ſolo ſecurus. Vigi-

let in pace cautior, qui in bello vigilare conſuevit. ibid.

271 Gaudeat Chriſtianus in adverſis, quia aut probatur, ſi iuſtus eſt; aut, ſi peccator, emendatur. Contriſtetur quem flagella corrigere divina non poſſunt, timeat futurum ſupplicium, qui præſens Iudicis contempſit remedium. ibid.

272 Vigila Chriſtiane ſub oculis Dei, ut perfecta victoria coroneris. Pugna cum diabolo, qui armatus es Chriſto, qui te deſiderat munerari. Contemne præſentia, ut percipias futura. ibid.

273 Laus Dei à corde, & ore Chriſtiani recedere non debet, non ut laudet in proſperis, ſed quemadmodùm pſalmus ille præſcribit, Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. idem in pſal. 54.

274 Ieſus Chriſtus finis noſter, perfectio noſtra eſſe debet, perfectio noſtra Chriſtus eſt: in illo enim perficimur, quia ipſius capitis membra ſumus. ibid.

275 Aliquando dum in hac corruptione poſiti Dominum noſtrum quæ-

quærimus, magis à nobis elongari, quàm appropriare videtur. Greg. in Cantic. cap. 5.

276 Ieſus finis, qui perficit: quoniam, quicquid agimus, ad illum referimus, & cùm ad eum pervenerimus, ultra quod quæramus, non habebimus. ibid.

277 Venit Ieſus eſurire, & ſaginare, venit ſitire, & potum dare, venit veſtiri mortalitate, & veſtire immortalitatem, venit pauper divites facturus: etenim non perdidit divitias ſuas, aſſumendo paupertatem noſtram: quia in illo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi. Aug. in pſal. 49. col. 17.

178 Propugnacula fidei tuæ geſta ſunt Chriſti: muri tui ſubſidia, verba ſunt Domini: paſſio Dominici corporis, tua virtus eſt. Ambroſ. in pſal. 118. oct. 6. verſ. 6.

279 Huic altiſſimo Filio Dei homini facto propter noſtram ſalutem offer holocauſta, quæ non ſpernit, & ſunt in conſpectu eius ſemper: eſt autem holocauſtum totum igne aſſumptum: eſt quidem ignis flagrãtiſſimę charitatis. ibid. col. 15.

Ani-

280 Animus inflammatur dilectione, arripiat eadem dilectio membra in uſum ſuum, non ea permittat mihi militare cupiditati, ut totus exardeſcat igne amoris divini, qui vult offerre Deo holocauſtum. ibid.

281 Immola quoque Deo ſacrificium laudis. O ſacrificium gratuitum gratia datum. Non quidem hoc emi, quod offerrem, ſed tu donaſti, nam nec hoc haberem. ibid. col. 18.

282 Hæc immolatio, hoc ſacrificium laudis eſt gratias agere illi, à quo habes, quicquid boni habes, & cuius miſericordia tibi dimittitur, quicquid tuum mali habes. ibid.

283 Quęre Ieſum quærentem te, ama amatorem tuum, à quo amaris, cuius amore præventus es, qui eſt cauſa amoris tui: ipſe eſt meritum, ipſe præmium, ipſe fructus, ipſe uſus, ipſe finis. idem manual. c. 24.

284 Neſcientes perſecutores Domini Ieſu fecerunt eum nobis in paſſione dulciorem, ut guſtemus, & videamus, quàm ſuavis eſt Dominus, qui mortuus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Pulchrè itaque dicitur

in

in pſalmo: Circundederunt me, ſicut apes favum. Mel quippe apes operã-tur in favis. Aug. in pſal. 117.

285 Si, evulſis ſpinis, ocioſus iacet ager, inutiles iterum herbas proferet: propterea ocium ipſius, ac deſidiam bonorum ſeminum, ac plantarum ſatione præoccupare oportet. Chryſoſt. hom. 16. in ep. ad Epheſ.

286 Dies cœli quis eſt, niſi Chriſtus Dominus, de quo dicitur per Prophetam; Dies diei eructat verbũ; ipſe eſt enim dies Filius, cui Pater dies divinitatis ſuæ eructat arcanum: ipſe eſt dies, de quo ait Propheta; Et ambulemus in lumine Domini. Felix lumen, quod trahat ſecum alimenta, & vitam. Ex Ambroſ. in pſal. 117.

287 Semper dies cœli ſplendet, lucet, & fulget, neque aliqua poteſt obſcuritate concludi: ita & lumen Chriſti ſemper micat, radiat, coruſcat, nec aliqua poteſt delictorum caligine comprehendi. ibid.

288 Lux Chriſti non parietibus obſtruitur, non elementis dividitur, non tenebris obſcuratur. Lux Chriſti dies eſt ſine nocte, dies ſine fine, ubique ſplendet, ubique radiat, ubiq; non deficit. ibid.

Su-

289 Superveniente Chriſti lumine, ſcito diaboli tenebras effugari, & & peccatorum obſcura nō ſubſequi, iugi ſplendore præteritas depelli caligines, ſubrepentia delicta prohiberi. ibid.

290. In uno Chriſti nomine ōnia ſunt: ipſe enim Chriſtus, qui natus eſt ex Virgine, ipſe eſt, qui admirabilia fecit in populo, ipſe qui mortuus eſt pro peccatis noſtris, & reſurrexit à mortuis. Vnum horum ſi retraxeris, retraxiſti ſalutem tuam. Ambroſ. lib. 6. in Luc. c. 9.

291 Eadem tibi, qua Chriſtus ambulavit, gradiendum eſt via. Hæc eius agnitio, hæc eius imitatio, per ignobilitatem, & bonam famam, ut glorieris in cruce Domini, ſicut ipſe eſt gloriatus. ibid.

292 Aliæ cruces nihil mihi proſunt, ſola crux Chriſti mihi utilis eſt, & verè utilis, per quam mihi mūdus crucifixus eſt, & ego mundo. ibid.

293 Si mihi crucifixus eſt mundus, ſcio, quia mortuus eſt, non diligo eum; ſcio, quia præterit, non concupiſco eum; ſcio, quia corruptela conſumet hunc mundum: quaſi foe-

tidum

tidum vito, quaſi luem caveo, quaſi nociturum relinquo. ibid.

294 Neſcit ſummum, qui Chriſtum ignorat. In Inferno ſemper eſt, qui non aſcendit ad Chriſtũ. In ſummo autem populus, qui verbum recipit, hic habet fidei patrimonium omne. Ambroſ. de Tobia c. 19.

295 Petamus, ut cuſtodiat in nobis Chriſtus pignus, quod ipſe donavit, & depoſitum ſuum, commendatumque conſervet. ibib. c. 20.

296 Nihil enim accepit à nobis, ſed ipſe nobis credidit, quod noſtrum non erat. Et ideo detrimento honeſtatis afficitur, qui depoſitum violarit alienum. ibid.

297 Si commendatum hominis nulla debemus fraude violare, quanto magis divinum, & ſpiritale depoſitum bona fide ſervare nos congruit, ne exiſtimationis gravia damna ſubeamus.

298 Induite Dominũ Ieſum, docet Apoſtolus: hæc eſt namque tunica, quæ inhoneſta operit noſtra, & in ijs abundãtiorem honeſtatem circumdat in Chriſto. Induimus viſcera miſericordiæ in Chriſto, induimus cru-

crucis gloriam, quæ Iudæis ſcandalum, Græcis ſtultitia videbatur. ibid.

199 Dormit pauper ſpiritu ſomnum reſurrectionis, quem dives dormire non poteſt, quia à divitijs, & voluptatibus ſuffocatur. Dormit Chriſti quietem dicẽtis; Ego dormivi, & quievi, & ſurrexi. ibid.

300 Conſepeliamur Domino Ieſu, ut participes reſurrectionis eius eſſe mereamur. ibid.

301 Expoliemus veterem hominem cum actibus ſuis, induamus novum, in quo remiſſio peccatorũ eſt. Bonus amictus, atque veſtitus Verbum Dei. ibid.

302 Congregavit omnes gentes, tanquam gallina pullos ſuos Dominus Ieſus, qui infirmatus eſt propter nos, accipiens carnem à nobis, ideſt à genere humano crucifixus, cõtemptus, alapis cæſus, flagellatus, ligno ſuſpenſus, lancea vulneratus. Ergo hoc maternæ infirmitatis eſt, non amiſſæ maieſtatis. Aug. in pſal. 58. col. 8.

303 Pœnitentia huius temporis dolor medicinalis eſt; pœnitentia illius temporis dolor pœnalis eſt. Non

vis

vis illas pati ſpinas, hìc compungere ſpinis pœnitentiæ, ut facias, quod dictum eſt; Converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina. idem in pſal. 57. col. 21.

304 Omnium bonorũ auctor eſt Deus, & quæ ſunt eius, profectò omnia bona ſunt, & nuſquam illic malum: &, ſi in illo mens noſtra maneat, malum neſcit. Ambroſ. lib. de Iſaac, & An. c. 7.

305 Anima igitur, quæ in Deo non manet, ipſa ſibi auctor malorum eſt: itaque peccat. Animam autém, quæ peccat, ipſa morietur. ibid.

306 Aureis enim vinculis ſoluta virtutum, prona fertur præcipitio, & labitur ad inferiora. Anima autem beata eſt, quam nulla adverſa corporis prælia expugnant. ibid.

306 Cognoſcit Dominus, qui sũt eius, & tanquam ſuos miſericordiæ ſuæ frenis, ut bonus rector revocat à lapſu. Rector ergo noſter Chriſtus eſt: anima currus, qui bonum rectorem ſubſtinet. ibid. c. 8.

307 Ipſe Ieſus rector eſt, qui novit equos proprios gubernare, ut æqualis omnium curſus ſit. ibid.

Ve-

308 Velociores prudentia tardat, iuſtitia admonet flagello proprio ſegniores, temperantia manſuetiores, fortitudo duriores reddit: novit copulare diſcordes, ne fortè currum ſuum diſſipent. ibid.

309 Curramus, ut comprehendamus: curramus, ut vincamus. Qui vincit, aſcendit in palmā, & manducat fructus eius. Qui vicit, iam non currit, ſed ſedit, ſicut ſcriptum eſt: Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in ſede mea, ſicut & ego vici, & ſedeo cum Patre meo in ſede ſua. ibid.

310 Quid te docuit pendens, qui deſcēdere de cruce noluit Ieſus Chriſtus, niſi patientiam inter inſultantes, niſi ut ſis fortis in Deo tuo? An fortè & ex eius perſona dictum eſt: Tāquam prodigium factus ſum multis, & tu adiutor fortis. Aug. in pſal. 70. part. 1. col. 7.

311 Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius. (O ſolius!) Quid addit, Solius, rogo vos; ſufficeret; Memorabor iuſtitiæ tuæ. Solius, inquit, prorſus, ubi meam non cogito. Quid enim habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non

acce-

acceperis? Iuſtitia tua ſola liberat me: mea ſola non ſunt niſi peccata. ibid. col. final.

312 Maximum opus noſtræ redemptionis à memoria redemptorũ aliquatenus non recedat: in quo opere duo potiſſimum cõſideranda ſunt, modus videlicet, & fructus. Modus quidem Dei exinanitio eſt, fructus verò noſtri de illo repletio. Hoc meditari, ſanctæ ſpei ſeminarium eſt, illud ſummi amoris incentivum. Bern. ſer. 11. ſuper Cantic.

313 Vtrumq; profectibus noſtris neceſſarium, ne aut ſpes mercenaria ſit, ſi amore nõ comitetur: aut amor tepeſcat, ſi infructuoſus putetur.

314 Tu es Domine ſpes mea, forte amplius aliquid ſonat, & ſublimius quòd videlicet, qui dicit non modò in eo ſperet, ſed eum. Convenientiùs ſiquidem ſpes noſtra dicitur, quod ſperamus, quàm in quo ſperamus. Bern. ſer. 9. in pſal. Qui habitat.

315 Sunt autem forte nonnulli, qui à Domino obtinere temporalia, ſeu ſpiritualia quælibet concupiſcũt: ſed perfecta charitas ſolũ ſitit, quod ſummum eſt: tota deſiderij vehemẽ-

D tia

tia clamans : Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

316 Servas mihi tu in cœlo Domine Deus meus divitias immortales teipſum, & ego volui à te in terra, quod habent & impij, quod habent & mali, quod habent & facinoroſi, pecuniam, aurum, & argentum, gemmas, familias. Aug. in pſal. 72. col. 18.

317 Cum gloria aſſumpſiſti me: & cœpi cogitare felicitatem ipſam cœleſtem, & arguere me, quia pecus fui, & terrena deſideravi. ibid.

318 Oculus non vidit Deus abſq; te, quæ præparaſti diligẽtibus te. Dic nobis tu qui præparas, quid præparas? Velim quippe ſcire cuius rei futura ſit illa menſura, vel potiùs illa immenſitas, quę repromittitur. Bern. ſerm. 11. ſuper Cantica.

319 Id quærimus, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit: hoc placet, hoc ſapit, hoc delectat inquirere, quodcumque eſt illud. Erunt, inquit, omnes docibiles Dei, & ipſe erit omnia in omnibus. Vt audio plenitudo, quã

expe-

expectamus à Deo, non erit niſi de Deo. ibid.

320 Grave onus iniquitas ſedens ſuper talentum plumbi. Sub hac gemebat ſarcina, qui dicebat: Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meũ; & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me. Bern. ſerm. 15. in pſal. Qui habitat.

321 Quod ergo onus Chriſti, quod onus leve? Vt quidem ego ſentio, onus beneficiorum, dulce onus, ſed ei qui ſentit, ei qui experitur. Alioquin ſi non invenias, ſi non advertas grave omninò & periculoſum. ibid.

322 Inclinavit ſe Ieſus, uſque ad mortem, mortem autem crucis, in qua expãdens manus ſuas totũ orbẽ, qui erat periturus, erexit: levavit iacentes, atque ad ſe omnium Gentiũ fidem traxit, dicens homini: Hodie mecum eris in paradiſo. Ambroſ. in pſalm. 43. verſ. Manus tuas gentes diſperdit &c.

323 Corpus Chriſti Eccleſia eſt, quæ vinculo ſtringitur charitatis. Meritò Petrus ſacerdos eligitur, qui ſparto charitatis divinæ triplici ſe li-

gavit. ibid. verſ. In te inimicos noſtros &c.

324 Confugiſti ad Chriſtum? Nō deſideras fundamentum, confirmatorem tuum non derelinquas: ut te qui ſuſcepit, ipſe tueatur, & mercem ſuam pius animarum noſtrarum negotiator agnoſcat. idem in pſal. 45. verſ. 1.

325 Niſi ſuper humilitatis ſtabile fundamentum ſpirituale ædificium ſtare minimè poteſt: porro ad ſe humiliandum nihil anima invenire vivacius, ſeu accomodacius poteſt, quā ſi ſe in veritate invenerit. Bern. ſuper Cant. ſer. 36.

326 Si amor hominū frequenter etiam mortem ſubire perſuaſit, quomodò non amor Chriſti non ſolùm laboris patientiam, ſed etiam mortis tolerantiam perſuadebit? Chryſoſt. de compunctione cordis lib. 1. col. 18. tom. 5.

327 Hoc Ieſu nomen tum inferis, tum morbis, & vitijs terrori eſt: ex eo itaque ornatum nobis vireſq; vendicemus. idem ſer. de laude Dei, tom. eod.

328 Chriſti Ieſu Domini noſtri, &

cru-

crucis virtus noſtra ſunt carmina, quæ non ſolùm draconem diabolum ſuis è latebris educent, in ignemque impingent: verùm vel ſi qua nobis inhæſerint ulcera, ſanabunt. ibid.

329 Cogita quàm ſit glorioſum, quamve magnificum Dominum noſtrum per nos venerari: uti & è contra quàm detrimētoſum illud, & ſupplicij plenum, cùm reliquis in eum conviciandi occaſionem damus. ibid.

330 Gemina dulcedo ſuavitatis exuberat in pectore Domini Ieſu, longanimitas, videlicet, in expectando, & in dando facilitas. Legis profectò de lōganimitate; An divitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Bern. ſerm. 9. ſuper Cantic.

331 Et de altero ubere, quod dictum eſt remittendi facilitas, legis: quacumque hora ingemuerit peccator, peccatum ſuum remittetur ei. Pulchrè David paucis comprehendit utrumque, dicens: longanimis, & multum miſericors. ibid.

332 Quoniam in oratione datur bona voluntas, cùm videris, quæ agenda ſunt, ut convaleſcas ad agē-

 da,

da, quæ videris, aſcende tu ad orationem, ora inſtanter, ora perſeverāter, ſicut Ieſus pernoctabat in oratione, & dabit Pater bonus ſpiritum bonum petenti ſe. idem ſer.4. in Aſcēſ. Domini col.penul.

433 Beatus, qui ubique te ducem habet Domine Ieſu, non illum refugam ſpiritum, qui ſtatim aſcendere voluit, & tota divinitatis dextera percuſſus eſt. in ead. ſolemnitate ſer. 3.

334 Nos autem populus tuus, & oves paſcuæ tuæ ſequamur te, per te, ad te. Quia tu es via, veritas, & vita: via in exemplo, veritas in promiſſo, vita in præmio. ibid.

335 Emitte ſpiritum tuũ, & creabuntur, & renovabis faciem terræ. Sicut per faciem exterior homo cognoſcitur, ſic per voluntatem demõſtratur interior. ibid.

336 Emiſſo ergo ſpiritu, creatur, & renovatur facies terræ, ideſt terrena voluntas fit cœleſtis, parata ad nutum obedire. ibid.

327 Oleum fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem: lux, cibus, medicina. Vide idem nunc & de ſpon-

ſponſi nomine. Lucet prædicatum, paſcit recogitatum, invocatum lenit, & ungit. Bern.ſer.15.ſuper Cant.

338 Nonne in huius nominis luce, ſcilicet, Ieſu Deus nos vocavit in admirabile lumen ſuum, quibus illuminatis, & in lumine iſto videntibus lumen dicat meritò Paulus: Fuiſtis aliquandò tenebræ, nunc autem lux in Domino. ibid.

339 Nec tantùm lux eſt nomen Ieſu, ſed eſt & cibus. An non toties cōfortaris, quoties recordaris? Quid ęquè mentem cogitantis impinguat, quid ita exercitatos reparat ſenſus; virtutes roborat, vegetat mores bonos atq; honeſtos, caſtas fovet affectiones. ibid.

340 Qui ſumus in hoc corpore mortis, oremus ne bonus ille dilectus Dei medicus nos derelinquat, quem Patriarcha David ne à ſe diſcederet, precabatur: ipſi nos committamus, parati quo velit curari medicamento. Ambroſ.in pſal.37.circa fin.

341 Nemo dicit medico corporis ſui, quemadmodùm ſit curandus. Novit medicus, quæ ſingulis vulneribus medicamenta cōveniant, cuius

Digitized by Google

ulceris putredo ferro ſit amputanda, ne in totius corporis ſerpat exitium. ibid.

342 Si dixerit medicus medicinæ genus, quo curari æger debeat, & ille faſtidiat: diſcedit medicus, & ægrũ relinquit. ibid.

343 Primus contemplationis gradus iſte eſt dilectiſſimi, ut inceſſanter conſideremus, quid velit Dominus, quid placeat ei, quid acceptum ſit coram ipſo. Bern. ſerm. de verbis Abacuch.

344 In Ieſu habeamus fiduciam, nec fragili innitamur cuſtodiæ, ſed figamus gradum in munitionem firmiſſimæ petræ, Chriſto totis viribus innitentes ſicut ſcriptum eſt: Qui ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos. ibid.

345 Recole quis ſicut ſerpens in cruce pependerit pro ſalute univerſorum, & intelligis illam animam eſſe pacificam, cui Pater Deus præſul ſit, Chriſtus agitator: quia ſcriptum eſt & hoc nomen in noſtris: Pater, Pater agitator iſrael. Ambroſ. lib. de Iſaac, & An. c.8.

346 Hic ergo agitator dicit, conver-

vertere. Bene & quaſi agitator, & quaſi ad currum dicit: Convertere Sunamitis, hoc eſt pacifica. Quæ enim pacifica eſt anima, citò ſe convertit, & corrigit; etiam ſi ante peccavit, & magis eam Chriſtus aſcendit, & regere dignatur, cui dicitur: Aſcende in equos tuos, & equitatus tuus ſanitas. ibid.

347 Aſcendit ergo equos ſuos Chriſtus, aſcendit Verbum Dei animas pias. Non diligamus ergo nimis corpora noſtra, ne in nigris ſedeamus equis: ſed animas noſtras in equos, & in currus Domini præparemus: qui aſcendit in Paulo, aſcendit in Petro, & in huiuſmodi curribus equitans, totum luſtravit orbem. ibid. & Hieron. in Habac. 3.

348 His equis illi contrarij ſunt, quos habet Pharao, & de quibus dicitur: Equum, & aſcenſorem proiecit in mare: huiuſcemodi equitatio non ſalus eſt, ſed perditio. Hieron. ibid.

349 Vidit & Ioannes equos candidos, & ſeſſores eorum, è quibus corpora in gloria reſurgentium puto eſſe equos candidos. Seſſores autem

Sanctorum animas. Si quis verò peccator eſt, & mei ſimilis ſedebit in equo nigro, & dicitur de eo: Dormitaverunt omnes, qui aſcenderunt equos. ibid.

350 Gemamus ſub hoc onere, & præſentes deploremus ærumnas: frequenter quiſque noſtrùm in vocem piæ querimoniæ erumpat, & clamet. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius. Bern. ſer. de obedien. & patien. &c. circa fin.

351 Studeamus etiam furari aliquando noſmetipſos, & à peſſimis occupationibus iſtis ſubripere vel ad horam: iaculari animos, vibrare corda in id, quod ſuum eſt, & quod quãtò naturalius, tantò ſuavius eſt. ibid.

352 Hoc enim eſt, quod dicitur: Vacate, & videte: quoniam ego ſum Deus. Neque enim eſt oculorum viſio iſta, ſed cordium: cum Dominus dicat: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. ibid.

353 Heù vitula Ephraim docta diligere trituram, aſſueta iugo ignara quietis. Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Quando ceſſabunt hæc omnia, & iam non erit amplius

plius neque luctus, neq; clamor, ſed nec ullus dolor, neque labor ullus? Quando inebriabit animam ubertas domus Dei, & torrens ille indeficiés voluptatis divinæ? Quando totam ſibi eam ſereniſſimi contemplatio luminis vendicabit. ibid.

354 Filioli cõcupiſcamus in atria Domini, crebrò ſuſpiremus illuc. Patria noſtra ipſa eſt: odoremus ſaltem, & à longè ſalutemus eam. ibid.

355 Aqua timor eſt, quoniam ab æſtu refrigerat deſideriorum carnalium. Initium, inquit, Sapientiæ timor Domini: Et habes: Aqua Sapiẽtiæ ſalutaris, potavit illum. Si timor ſapientia, & ſapientia aqua; timor aqua eſt. Denique timor Domini, inquit, fons vitæ. Porro hydria mens tua. Bern. ſer. 54. ſuper Cantic.

356 Capientes, inquit, ſingulæ metretas binas, vel ternas. Tres metretæ timores tres. Et impleverunt eas, inquit, uſque ad ſummum. Non unus timor, non duo quoque, ſed toti tres ſimul replent uſque ad ſummum. ibid.

357 Amat *Deus* integrum munus, affectum plenum perfectum ſa-

crificium. Cura proinde nuptijs cœleſtibus plenam inferre hydriam, ut de te quoque dicatur: Quia replevit eum ſpiritus timoris Domini. ibid.

358 Qui ſic timet, nihil negligit. Vnde namque negligentia intret in plenitudinem? Alioquin quod capere adhuc aliquid poteſt, plenũ nõ eſt. Eadem ſane ratione nõ poteſt ſimul, & ſic timere, & altum ſapere. Non eſt enim, quo admittat ſuperbiam, repletus timore Domini. ibid.

359 Appropiavit Ieſus ſpõſus parieti, cùm adhæſit carni. Caro paries eſt & appropiatio ſponſi verbi incarnatio. Porrò cancellos, & feneſtras per quas perſpicere perhibetur, ſẽſus, ut opinor carnis, & humanos dicit affectus, per quos experimentum cepit omnium humanarum neceſſitatum. idem ſerm. 56.

360 Denique languores noſtros ipſe portavit. Humanis ergo affectionibus, ſenſibuſque corporeis pro foraminibus uſus eſt, & feneſtris, ut miſerias hominum, homo factus, experimento ſciret, & miſericors fieret. ibid.

361 Sciebat & ante ſed aliter. Scie-

Sciebat denique virtutem obediendi ipſe Dominus virtutum, & tamen, teſte Apoſtolo, didicit ex his, quę paſſus eſt, obedientiam. In hunc modū & miſericordiam didicit, & ſi miſericordia Domini ab æterno. ibid.

362 Agendum hic nobis aliquid; non quidem de hoc mundo, ſed in hoc mundo. Cùm enim legatur; Adam in loco voluptatis ab initio poſitus, ut operaretur, quis ſanum ſapiens, filios eius in loco afflictionis ad feriandum poſitos arbitretur? Bernar. ſerm. de eo, quod ſcriptum eſt: Beatus homo, qui invenit ſapientiā.

363 Operemur ergo, ſed cibum, qui non perit, operemur opus ſalutis noſtræ. Operemur in vinea Domini, ut denarium diurnum accipere mereamur. Operemur in ſapientia, quæ dicit: Qui operantur in me non peccabunt. Bonus denarius gloria cœleſtis. Bonus denarius vita æterna. Ibid.

364 Bonus denarius ſempiterna lætitia. Denarius ſine mœrore, ſine luctu, ſine fletu. Bonus denarius dies æternus ſine nocte: ſine tenebris lux æterna; obſcuritatem neſcit lumen illud,

illud, quod eſt Agnus lux lucis, lumen de lumine. Bonus denarius viſio pacis, immò diuturnus uſus perfectæ charitatis; invidia, & livor, & odium procul: ſine faſtidio ſatietas; ſine paſſione deſiderium: exultatio nova, & antiqua: perennis, quæ tamen habeat gaudia novitatis. Bonus deniq; denarius viſio Dei. Ibid.

365 Illuminat animas Ieſus Chriſtus, & facit eas vigilare. Si autem lumen ſuum detrahet, obdormiunt. Ideo enim illi dicitur in alio Pſalmo, Illumina oculos meos ne unquā obdormiam in morte. Aut ſi ab illo averſi obdormiunt, præſens eſt illis lumen, & non poſſunt videri, quia dormiunt. Aug. in Pſal. 62. col. 4.

366 Felix, qui ad ſingula dona gratiæ redit ad eum, in quo eſt plenitudo omnium gratiarum cui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratię, ut maiora adhuc accipere mereamur. Bernard. ſerm. cont. peſſim. vit. ingratitud. col. pen.

367 Ager eſt mundus, ait Veritas: fodiamus in eo; theſaurus abſconditus latet. Ipſa eſt enim ſapientia, quæ tra-

trahitur de occultis. Omnes eam quærimus, omnes concupiſcimus eã. Sed fruſtra quærit, qui in lectulo ſuo quærit: Neque enim in terra ſuaviter viventium invenitur. Ibid.

368 Lectulus eſt, & ibi gigantem quæris? Tuus eſt, & ibi ſperas invenire eũ, qui diverſoria ſemper ignorat. Si quæritis, inquit, quærite, convertimini, & venite. Quæris unde? à lectulo tuo. Quæris unde convertaris? à voluntatibus, inquit, tuis avertere. Ibid.

369 Omni ſtudio lata ſeculi via vitanda eſt, quæ ducit ad mortem; at verò omni cordis deſiderio via anguſta, quæ ducit ad vitam adeunda eſt, & appetenda. Aug. de triplici habitaculo cap. 3. & 4.

370 Via hæc anguſta eſt, via abſtinentiæ, & caſtitatis, humilitatis, & omnis religionis, quam viã ante nos Chriſtus attrivit, qua via ad ſuum regnum migravit. ibid.

371 Cuius veſtigia & nos ſequamur, donec poſt eum eadem via ad urbem regiam perveniamus in qua ipſe regnat. De qua urbe quicquid homo dixerit, quaſi ſtilla de mari eſt, vel

vel quaſi ſcintilla de foco. ibid.

372 Scriptum eſt in capite libri: Agnus ſine macula, mundus, maturus, maſculus, anniculus erit vobis, & occidet eum omnis ſynagoga. Quis iſte ſit agnus, audiſtis dicentē: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Hic eſt, qui occiſus eſt ab omni populo Iudæorum, quem adhuc hoſtili odio perſequūtur. Ambroſ. in pſal. 39. verſ. 9. & 10.

373 Et illum quidem oportebat pro omnibus mori, ut in eius cruce fieret remiſſio peccatorū, & ſanguis ipſius mundi inquinamenta lavaret. ibid.

374 Quæ igitur maior ſalus, quā eſſe cum Chriſto? & ei unitate quadam corporis adhærere, in quo nec macula ſit ulla, nec ſorditudo peccati: remedium ſalutis dominus Ieſus, publicæ ſalutis auctor, quē expectavit Adam de Paradiſo eiectus, ut longo liberararetur exilio. Ibid. & verſ. 6. & 7.

375 Quid nobis glorioſius, quàm quod tanti æſtimavit nos Deus? quęve maior illi gloria, quàm tanta dignatio, & tanta benignitas, eo utique dul-

dulciſſima, quo tam gratuita? Nam pro impijs mortuus eſt. Videte quã- tum fecit, & pro qualibus. Pro qualibus, ut non ſuperbiamus: quantum, ne deſperemus. Bern. ſerm. 3. in Circumciſ. Domini.

376 Attendamus non poſteriora, quò diabolus revocat, ſed priora quò Chriſtus vocat. Oculos erigamus ad Cœlum, ne oblectamentis, & illecebris nos ſuis terra decipiat. Cyprian. ep. 8.

377 Deus quantum Patris pietate indulgens ſemper, & bonus eſt, tãtum Iudicis maieſtate metuẽdus eſt. Idem de lapſis col. penult.

378 Quàm magna delinquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens, & longa medicina non deſit: pœnitentia crimine minor nõ ſit. ibid.

379 Nihil aliud requirit ab humano genere Dominus univerſi poſt innumera, & ineffabilia beneficia ſua, quàm animam gratiarũ actioni ſtudentem, & ſcientem fateri gratiam pro ijs, quæ iam aderant. Catholicũ Patrem catholicè intellige, ut ſupra. Chryſoſt. hom. 32. in Geneſ.

Nihil

380 Nihil aliud in hac vita noſtrę peregrinationis meditemur, niſi quia hic non ſemper erimus, & ibi nobis locum bene vivendi præparabimus, unde nunquam migremus. Auguſt. tract. 32. in Evang. Ioan. col. fin.

381 Excelſa eſt patria, humilis via: patria eſt vita Christi, via eſt mors Christi: patria eſt manſio Chriſti, via paſſio Chriſti. Qui recuſat viã, quid quærit patriã? Idẽ ibid. tract. 28. col. 3.

382 Deniq; & illis hoc reſpondit quærentibus altitudinẽ: Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Ecce qua venitur ad celſitudinem, quam deſideratis, calicem quippe commemorabat humilitatis, atq; paſſionis. ibid.

383 Ante quam ad patriam promiſſionis, ideſt æternum regnum veniamus, in deſerto, in tabernaculis ſumus. Qui iſta agnoſcunt, in tabernaculis ſunt: futurum enim erat, ut quidam hoc agnoſcerent. Ille enim eſt in tabernaculis, qui ſe eſſe in mũdo intelligit peregrinum. Ille ſe intelligit peregrinantem, qui ſe videt patriæ ſuſpirantem. Ibid. col. antepen. & ſeq.

Quare

384 Quare ſumus in eremo, quare in deſerto? quia in iſto mundo, ubi ſititur in via inaquoſa. Sed ſitiamus, ut ſaturemur. Beati enim, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. ibid.

385 Et ſitis noſtra de petra impletur in eremo: Petra enim erat Chriſtus, & virga percuſſa eſt: ut autem maneret, bis percuſſa eſt, quia duo ligna ſunt crucis. ibid.

386 Aqua ſapientiæ ſalutaris ſermo divinus, non modo potens, ſed & lavans, dicente Domino: Et vos mũdi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis. Bern. ſerm. 22. ſuper Cantic.

387 Sed & crudos carnis cogitatus igne Spiritus ſancti accedente, coquit divinum eloquium, ac vertit in ſenſus ſpirituales, & cibos mentis, ita ut dicas: Concaluit cor meũ intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. ibid.

388 Diſce in ſpirituali exercitio duplex auxiliũ deſuper ſperare, correptionem, & conſolationem. Altera foris exercet altera viſitat intus: Illa reprimit inſolentiam, iſta in fiduciam

ciam erigit. Illa operatur humilitatem, iſta puſillanimitatē conſolatur. Illa cautos, iſta devotos facit. ibidem ſerm. 21.

389 Sancta Eccleſia gratia genitrice nutritur, dum fide eruditur, carne ſui ſponſi paſcitur, ſanguine lavatur, ſcriptura divina ſaginatur. Gregor. in Cantic. 7. verſ. viderunt eā filiæ Syon.

390 Timorem Domini docet illa, iſta ipſum timorem infuſo temperat gaudio ſalutari, ſicut ſcriptum eſt: Lætetur cor meum, ut timeat nomē tuum. Item, Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.

391 Trahimur, cū tentationibus, & tribulationibus exercemur. Currimus, cùm internis conſolationibus, & inſpirationibus viſitati tanquam in ſuaveolentibus unguentis reſpiramus.

392 Quaſi quodam patrij amoris affectu ſupra collum tuum cadit Ieſus, ut iacentem erigat, & oneratum peccatis, atque in terrena deflexum reflectat ad Cœlum, in quo ſuū quærat auctorem. Ambroſ. lib. 7. in Evangel. Lucæ 15.

Cadit

393 Cadit in collum tuum Chriſtus, ut cervicem iugo exuat ſervitutis, & collo tuo iugum ſuave ſuſpendat. Nonne tibi videtur cecidiſſe in collum Ioannis, quando erat Ioannes in ſinu Ieſu, cervice recumbens deflexa? Et ideo Verbum apud Deum vidit, quia erectus eſt ad ſuperna? Ibidem.

394 Cadit in collum cùm dicit: Venite ad me, qui laboratis, & ego vos reficiam, tollite iugum meum ſuper vos. ibid.

395 Sævitia diaboli diabolo obfuit, nobis autem profuit. Sæviendo enim quos tenebat amiſit, redéptos ſanguine Domini, quem, cùm ſæviret, effudit. Aug in Pſal. 130.

396 Ipſe mons Chriſtus eſt. Ipſe eſt per quem aſcendimus, & ad quẽ aſcendimus. Ipſe eſt ianua, ipſe eſt via, qui aperitur, & qui aperit, qui pulſatur ab ingrediẽtibus, & ab emeritis adoratur. Idem ibid. lib. 9.

397 Quid mirum ſi ſurrexit à cœna, & poſuit veſtimenta ſua Dominus Ieſus, qui, cùm in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinanivit? Et quid mirum ſi præcinxit ſe linteo, qui for-

mam

mam ſervi accipiés habitu inventus eſt ut homo? Auguſt. in Evang. Ioan. tract. 55.

398 Quid mirum ſi miſit aquam in pelvim, unde lavaret pedes diſcipulorum; qui in terram ſanguinem fudit, quo immunditiã dilueret peccatorum? ibid.

399 Quid mirũ ſi linteo, quo erat præcinctus, pedes, quos laverat, terſit, qui carne, qua erat indutus, Evangeliſtarum veſtigia confirmavit? ibid.

400 Et linteo quidem, ut ſe præcingeret, depoſuit veſtimenta ſua, quæ habebat: ut autem formam ſervi acciperet, quando ſemetipſum exinanivit, non quod habebat, depoſuit, ſed quod non habebat accepit. ibid.

401 Crucifigendus ſanè ſuis exſpoliatus eſt veſtimentis, & mortuus involutus eſt linteis, & tota illa eius paſſiò noſtra purgatio eſt. ibid.

402 Paſſurus exitia præmiſit obſequia non ſolùm eis, pro quibus erat ſubiturus mortem, ſed etiam illi, qui eum fuerat traditurus ad mortem. Ibidem.

403 Non materialem fœneratori Deo debemus pecuniam, ſed meritorum

rum

Digitized by Google

rum examina, æra virtutum: quarũ meritum gravitatis pondere, iuſtitiæ ſpecie, ſono confeſſionis expenditur. Ambroſ. lib. 6. in Evang. Luc. c. 7.

404 Væ mihi, ſi nõ habuero, quod accepi, quia difficile eſt, quod fœneratori huic integrum debitum quiſq; poſſit exolvere. ibid.

405 Væ mihi, ſi non petiero concedi mihi debitum. Non enim nos ita Dominus orare docuiſſet, ut peteremus dimitti nobis noſtra debita, niſi ſciret difficilè aliquos fore idoneos debitores. ibid.

406 Qui non amat Dominum Ieſum, anathema ſit. Valdè omnino mihi amandus eſt, per quem ſum, vivo, & ſapio. Sin autem, ingratus ſum, & indignus. Bernar. ſerm. 20. ſuper Cantic.

407 Sed eſt, quod me plus movet, plus urget, plus accendit. Super omnia inquam, reddit amabilem te mihi, Ieſu bone, calix, quem bibiſti, opus noſtræ redemptionis. Hoc omninò amorem noſtrum facilè vendicat totum ſibi. ibid.

408 Abſque Ieſu Chriſto, nec ſapiens quis eſſe poteſt, nec intelligens, nec

nec conſiliarius, nec fortis, nec eruditus, nec pius, nec plenus timoris Dei. Hieron. in Eſaiæ cap. 11.

409 Hoc eſt, quod noſtram devotionem, & blandiùs allicit, & iuſtiùs exigit, & arctiùs ſtringit, & afficit vehementiùs. Multum quippe laboravit in eo Salvator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis auctor aſſumpſit. ibid.

410 Sive in donis Dei, ſiue in flagellis eius lauda eum. Laus flagellantis medicina eſt vulneris: & ſi laudamus compediti, quomodo laudabimus coronati. Aug. in Pſal. 144.

411 Illa denique dixit, & facta ſunt, mandavit, & creata ſunt: at verò hoc, & in dictis ſuis ſubſtinuit contradictores, & in factis obſervatores, & in tormentis illuſores, & in morte exprobratores. ibid.

412 Plenum prorſus omni ſuavitatis dulcedine videre hominem hominis conditorem. ibid.

413 Habeamus & nos proceſſum vitę huius, ſicut habuit & Paulus, qui dicit: Vivo autem, iam non ego, hoc eſt: Non ego, qui terram ante manducabam; non ego, qui fœnum, quia omnis

omnis caro fœnum, ſed vivit in me Chriſtus, vivit panis ille vivus, qui venit ę cœlo, vivit ſapiētia, vivit gratia, vivit iuſtitia, vivit reſurrectio. Itaque tibi Chriſte debemus univerſa. Ambroſ. lib. de Paradiſo in fine.

414 Quare mei oblitus es? quare operis tui oblitus es? quare viſitationis tuæ oblitus es? poſtremò quare infirmitatis meæ oblitus es? Quid eſt enim homo, niſi quia viſitas eū? Non ergo obliviſcaris infirmum. (Et ſi differs ſanare, non te pigeat ſuſcitare. Si fœtet mortuus in ſepulcro, non abhorreas Domine: voca illum, & vivifica: ſolve, adhuc ſubſtine, ne iterum, quod eſt deterius, ſuis implicetur vitijs, iniquitatibus alligetur. Idē in pſal. 41. verſ. Quare mei oblitus es?

415 Memento Domine, quia infirmum me feciſti, memento, quia de pulvere me finxiſti. Quomodo ſtare potero, niſi ſolidaturus hoc lutum ſemper intendas: ut de vultu tuo ſoliditas mea prodeat? ibid.

416 Cum averteris faciem, turbabuntur omnia: ſi intendas, væ mihi, non habens, quod in me aſpicias, niſi

uberiorem, & fertiliorem agrum. Feſtinemus, ut habitemus ſine metu, abundemus ſine defectu, epulemur ſine faſtidio. Tu enim Domine Sabaoth, qui cum tranquillitate iudicas omnia, etiam cum ſecuritate æquè omnia paſcis. Idem ipſe Dominus exercituum, & paſtor ovium. Ergo & paſcis, & cubas pariter, ſed non hìc.

426 Denique ſtabas, cùm è cœlo proſpiceres unā ex tuis oviculis (Stephanum loquor) à lupis circumdari ſuper terram. Et propterea quæſo indica mihi, ubi paſcas, ubi cubes in meridie, hoc eſt tota die. Etenim illa meridies tota eſt dies, & ipſa neſciēs veſperam. Et ideo melior dies illa in atrijs tuis ſuper millia, quia neſcit occaſum. ibid.

427 O verè meridies plenitudo fervoris, & lucis, ſolis ſtatio, umbrarum exterminatio, deſiccatio paludum, fœtorum depulſio. ibid.

428 O perenne ſolſtitium quando iam non inclinabitur dies, ò lumen meridianū, ò verna temperies, ò ęſtiva venuſtas, ò autumnalis ubertas, & ne quid videar præteriſſe, ò

quies,

quies, & feriatio hyemalis. ibid.

429 Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem Patris mei. Cibus utique, ſed cibus cordis. Quid enim æquè confirmat, & cor roborat humanũ? quid ita in omni neceſſitate confortat, & ſuſtentat, ut divinæ voluntatis exequutio, velut in quendam animæ ventrem, conſcientiam ſcilicet eius ingeſta? Bern. ſerm. 3. Domin. Palm.

430 Mirabilis paſſio tua Domine Ieſu, quæ paſſiones omnium noſtrũ propulſavit: propiciata eſt omnibus iniquitatibus noſtris, & nulli unquã peſti noſtræ invenitur inefficax. idem ſerm. in 4. fer. hebdom. pœnoſæ.

431 Hoc eſt vivere in conſpectu Dei, digna Dei verbo negocia gerere. Oculi Domini ſuper iuſtos. Ambroſ. lib. 2. de Abraham circa fin.

432 Eſcæ malorum ſunt voluptates corporis. His quiſquis intendit, laqueo innectit animam ſuam. Qui autem ab eſcis eius temperat, & de tenebris eius exit, eius anima fulget, ut diluculum, de qua dicitur; Quænam hæc eſt proſpiciens tanquam diluculum; ſpecioſa ſicut luna? Idem

vel quaſi ſcintilla de foco. ibid.

372 Scriptum eſt in capite libri: Agnus ſine macula, mundus, maturus, maſculus, anniculus erit vobis, & occidet eum omnis ſynagoga. Quis iſte ſit agnus, audiſtis dicentẽ: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Hic eſt, qui occiſus eſt ab omni populo Iudæorum, quem adhuc hoſtili odio perſequũtur. Ambroſ. in pſal. 39. verſ. 9. & 10.

373 Et illum quidem oportebat pro omnibus mori, ut in eius cruce fieret remiſſio peccatorũ, & ſanguis ipſius mundi inquinamenta lavaret. ibid.

374 Quæ igitur maior ſalus, quã eſſe cum Chriſto? & ei unitate quadam corporis adhærere, in quo nec macula ſit ulla, nec ſorditudo peccati: remedium ſalutis dominus Ieſus, publicæ ſalutis auctor, quẽ expectavit Adam de Paradiſo eiectus, ut longo liberararetur exilio. Ibid. & verſ. 6. & 7.

375 Quid nobis glorioſius, quàm quod tanti æſtimavit nos Deus? quęve maior illi gloria, quàm tanta dignatio, & tanta benignitas, eo utique dul-

dulciſſima, quo tam gratuita? Nam pro impijs mortuus eſt. Videte quã-tum fecit, & pro qualibus. Pro qualibus, ut non ſuperbiamus: quantum, ne deſperemus. Bern. ſerm. 3. in Circumciſ. Domini.

376 Attendamus non poſteriora, quò diabolus revocat, ſed priora quò Chriſtus vocat. Oculos erigamus ad Cœlum, ne oblectamentis, & illecebris nos ſuis terra decipiat. Cyprian. ep. 8.

377 Deus quantum Patris pietate indulgens ſemper, & bonus eſt, tã-tum Iudicis maieſtate metuẽdus eſt. Idem de lapſis col. penult.

378 Quàm magna delinquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens, & longa medicina non deſit: pœnitentia crimine minor nõ ſit. ibid.

379 Nihil aliud requirit ab humano genere Dominus univerſi poſt innumera, & ineffabilia beneficia ſua, quàm animam gratiarũ actioni ſtudentem, & ſcientem fateri gratiam pro ijs, quæ iam aderant. Catholicũ Patrem catholicè intellige, ut ſupra. Chryſoſt. hom. 32. in Geneſ.

Nihil

380 Nihil aliud in hac vita noſtrę peregrinationis meditemur, niſi quia hìc non ſemper erimus, & ibi nobis locum bene vivendi præparabimus, unde nunquam migremus. Auguſt. tract. 32. in Evang. Ioan. col. fin.

381 Excelſa eſt patria, humilis via: patria eſt vita Chriſti, via eſt mors Chriſti: patria eſt manſio Chriſti, via paſſio Chriſti. Qui recuſat viã, quid quærit patriã? Idẽ ibid. tract. 28. col. 3.

382 Deniq; & illis hoc reſpondit quærentibus altitudinẽ: Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Ecce qua venitur ad celſitudinem, quam deſideratis, calicem quippe commemorabat humilitatis, atq; paſſionis. ibid.

383 Ante quam ad patriam promiſſionis, ideſt æternum regnum veniamus, in deſerto, in tabernaculis ſumus. Qui iſta agnoſcunt, in tabernaculis ſunt: futurum enim erat, ut quidam hoc agnoſcerent. Ille enim eſt in tabernaculis, qui ſe eſſe in mundo intelligit peregrinum. Ille ſe intelligit peregrinantem, qui ſe videt patriæ ſuſpirantem. Ibid. col. anteſ pen. & ſeq.

Quare

384 Quare ſumus in eremo, quare in deſerto? quia in iſto mundo, ubi ſititur in via inaquoſa. Sed ſitiamus, ut ſaturemur. Beati enim, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. ibid.

385 Et ſitis noſtra de petra impletur in eremo: Petra enim erat Chriſtus, & virga percuſſa eſt: ut autem maneret, bis percuſſa eſt, quia duo ligna ſunt crucis. ibid.

386 Aqua ſapientiæ ſalutaris ſermo divinus, non modo potens, ſed & lavans, dicente Domino: Et vos mūdi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis. Bern. ſerm. 22. ſuper Cantic.

387 Sed & crudos carnis cogitatus igne Spiritus ſancti accedente coquit divinum eloquium, ac vertit in ſenſus ſpirituales, & cibos mentis, ita ut dicas: Concaluit cor meū intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. ibid.

388 Diſce in ſpirituali exercitio duplex auxiliū deſuper ſperare, correptionem, & conſolationem. Altera foris exercet altera viſitat intus: Illa reprimit inſolentiam, iſta in fiduciam

ciam erigit. Illa operatur humilitatem, iſta puſillanimitatẽ conſolatur. Illa cautos, iſta devotos facit. ibidem ſerm. 21.

389 Sancta Eccleſia gratia genitrice nutritur, dum fide eruditur, carne ſui ſponſi paſcitur, ſanguine lavatur, ſcriptura divina ſaginatur. Gregor. in Cantic. 7. verſ. viderunt eã filiæ Syon.

390 Timorem Domini docet illa, iſta ipſum timorem infuſo temperat gaudio ſalutari, ſicut ſcriptum eſt: Lætetur cor meum, ut timeat nomẽ tuum. Item, Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.

391 Trahimur, cũ tentationibus, & tribulationibus exercemur. Currimus, cùm internis conſolationibus, & inſpirationibus viſitati tanquam in ſuaveolentibus unguentis reſpiramus.

392 Quaſi quodam patrij amoris affectu ſupra collum tuum cadit Ieſus, ut iacentem erigat, & oneratum peccatis, atque in terrena deflexum reflectat ad Cœlum, in quo ſuũ quærat auctorem. Ambroſ. lib. 7. in Evangel. Lucæ 15.

Cadit

393 Cadit in collum tuum Chriſtus, ut cervicem iugo exuat ſervitutis, & collo tuo iugum ſuave ſuſpendat. Nonne tibi videtur cecidiſſe in collum Ioannis, quando erat Ioannes in ſinu Ieſu, cervice recumbens deflexa? Et ideo Verbum apud Deum vidit, quia erectus eſt ad ſuperna? Ibidem.

394 Cadit in collum cùm dicit: Venite ad me, qui laboratis, & ego vos reficiam, tollite iugum meum ſuper vos. ibid.

395 Sævitia diaboli diabolo obfuit, nobis autem profuit. Sæviendo enim quos tenebat amiſit, redéptos ſanguine Domini, quem, cùm ſæviret, effudit. Aug in Pſal. 130.

396 Ipſe mons Chriſtus eſt. Ipſe eſt per quem aſcendimus, & ad quẽ aſcendimus. Ipſe eſt ianua, ipſe eſt via, qui aperitur, & qui aperit, qui pulſatur ab ingrediẽtibus, & ab emeritis adoratur. Idem ibid. lib. 9.

397 Quid mirum ſi ſurrexit à cœna, & poſuit veſtimenta ſua Dominus Ieſus, qui, cùm in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinanivit? Et quid mirum ſi præcinxit ſe linteo, qui for-

mam

mam ſervi accipiẽs habitu inventus eſt ut homo? Auguſt. in Evang. Ioan. tract. 55.

398 Quid mirum ſi miſit aquam in pelvim, unde lavaret pedes diſcipulorum; qui in terram ſanguinem fudit, quo immunditiã dilueret peccatorum? ibid.

399 Quid mirũ ſi linteo, quo erat præcinctus, pedes, quos laverat, terſit, qui carne, qua erat indutus, Evangeliſtarum veſtigia confirmavit? ibid.

400 Et linteo quidem, ut ſe præcingeret, depoſuit veſtimenta ſua, quæ habebat: ut autem formam ſervi acciperet, quando ſemetipſum exinanivit, non quod habebat, depoſuit, ſed quod non habebat accepit. ibid.

401 Crucifigendus ſanè ſuis expoliatus eſt veſtimentis, & mortuus involutus eſt linteis, & tota illa eius paſſio noſtra purgatio eſt. ibid.

402 Paſſurus exitia præmiſit obſequia non ſolùm eis, pro quibus erat ſubiturus mortem, ſed etiam illi, qui eum fuerat traditurus ad mortem. Ibidem.

403 Non materialem fœneratori Deo debemus pecuniam; ſed meritorum

rum examina, æra virtutum: quarũ meritum gravitatis pondere, iuſtitiæ ſpecie, ſono confeſſionis expenditur. Ambroſ. lib. 6. in Evang. Luc. c. 7.

404 Væ mihi, ſi nõ habuero, quod accepi, quia difficile eſt, quod fœneratori huic integrum debitum quiſq; poſſit exolvere. ibid.

405 Væ mihi, ſi non petiero concedi mihi debitum. Non enim nos ita Dominus orare docuiſſet, ut peteremus dimitti nobis noſtra debita, niſi ſciret difficilè aliquos fore idoneos debitores. ibid.

406 Qui non amat Dominum Ieſum, anathema ſit. Valdè omnino mihi amandus eſt, per quem ſum, vivo, & ſapio. Sin autem, ingratus ſum, & indignus. Bernar. ſerm. 20. ſuper Cantic.

407 Sed eſt, quod me plus movet, plus urget, plus accendit. Super omnia inquam, reddit amabilem te mihi, Ieſu bone, calix, quem bibiſti, opus noſtræ redemptionis. Hoc omninò amorem noſtrum facilè vendicat totum ſibi. ibid.

408 Abſque Ieſu Chriſto, nec ſapiens quis eſſe poteſt, nec intelligens,

nec

nec conſiliarius, nec fortis, nec eruditus, nec pius, nec plenus timoris Dei. Hieron. in Eſaiæ cap. 11.

409 Hoc eſt, quod noſtram devotionem, & blandiùs allicit, & iuſtiùs exigit, & arctiùs ſtringit, & afficit vehementiùs. Multum quippe laboravit in eo Salvator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis auctor aſſumpſit. ibid.

410 Sive in donis Dei, ſiue in flagellis eius lauda eum. Laus flagellantis medicina eſt vulneris: & ſi laudamus compediti, quomodo laudabimus coronati. Aug. in Pſal. 144.

411 Illa denique dixit, & facta ſunt, mandavit, & creata ſunt: at verò hoc, & in dictis ſuis ſubſtinuit contradictores, & in factis obſervatores, & in tormentis illuſores, & in morte exprobratores. ibid.

412 Plenum prorſus omni ſuavitatis dulcedine videre hominem hominis conditorem. ibid.

413 Habeamus & nos proceſſum vitę huius, ſicut habuit & Paulus, qui dicit: Vivo autem, iam non ego, hoc eſt: Non ego, qui terram ante manducabam; non ego, qui fœnum, quia omnis

omnis caro fœnum, ſed vivit in me Chriſtus, vivit panis ille vivus, qui venit è cœlo, vivit ſapiētia, vivit gratia, vivit iuſtitia, vivit reſurrectio. Itaque tibi Chriſte debemus univerſa. Ambroſ. lib. de Paradiſo in fine.

414 Quare mei oblitus es? quare operis tui oblitus es? quare viſitationis tuæ oblitus es? poſtremò quare infirmitatis meæ oblitus es? Quid eſt enim homo, niſi quia viſitas eū? Non ergo obliviſcaris infirmum. (Et ſi differs ſanare, non te pigeat ſuſcitare. Si fœtet mortuus in ſepulcro, non abhorreas Domine: voca illum, & vivifica: ſolve, adhuc ſubſtine, ne iterum, quod eſt deterius, ſuis implicetur vitijs, iniquitatibus alligetur. Idē in pſal. 41. verſ. Quare mei oblitus es?

415 Memento Domine, quia infirmum me feciſti, memento, quia de pulvere me finxiſti. Quomodo ſtare potero, niſi ſolidaturus hoc lutum ſemper intendas: ut de vultu tuo ſoliditas mea prodeat? ibid.

416 Cum averteris faciem, turbabuntur omnia: ſi intendas, væ mihi, non habens, quod in me aſpicias, niſi

contagia delictorum: nec deſeri utile, nec videri eſt: quia dum videmur, offendimus. ibid.

417 Poſſumus tamen exiſtimare, quia non repellit, quos videt: quia emundat, quos aſpicit. Ignis ante eũ ardet, qui crimen exurat.

418 Non noſti, quòd qui in peccatis ſunt, etſi vivunt, mortui ſunt: qui verò in iuſtitia ſunt, etſi mortui ſunt, vivunt? Nec meus hic ſermo, ſententia eſt Chriſti Marthæ dicentis: Omnis, qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, vivet: non enim fabulæ ſunt dogmata noſtra. Chryſoſt. hom. 5. ad Populum Antiochen.

419 Si Chriſtianus es, Chriſto crede: ſi Chriſto credis, per opera mihi fidem demonſtra. Quomodo verò per opera fidẽ demonſtrabis? Si mortem contemnas. ibid.

420 Non timeamus mortẽ, quoniam requies eſt corporis: animæ autem vel libertas, vel abſolutio. Vnde itaque timemus mortem, quæ temporalis eſt peregrinatio, ſomnus conſueto longior? Vtique timemus, quia non vulnerat nos regni amor, non nos futurorum amor accendit. Ambroſ.

broſ. lib. de Iſaac. & Chryſoſt. ubi ſupra.

421 Opulentus in divitijs laudadatur, luxurioſus in convivijs, ſcortator in nocte, potens in hac vita, quę habet noctes: ſanctus autem non in hac vita, ſed in Domino laudabitur. Ambr. in pſal. 43. verſ. In Deo laudabimur.

422 Laudabitur tota die: quia honeſtè egit, & opera ſua non abſcondit, & crimina, ſed regi patefecit æterno, in die ambulans non in tenebris, & occultis. ibid.

423 Perfidis dormit Dominus Ieſus, fidelibus vigilat. Qui fidelis eſt intrat ad eum, & à negligente Deus videtur exire, atque diſcedere. ibid. verſ. Et non progredieris.

424 Clamemus ad eum toto cordis affectu: exurge quare obdormis Domine: attrahe nos, ut curramus poſt odorem unguentorum tuorum. Poſt gigantem enim charitatis tuæ, tractus funiculis, curret pumilio.

425 Feſtinemus ingredi in illam requiem, feſtinemus ad locum tutiorem, ubi cubat Deus in meridie, & paſcit, ad paſtum ſuaviorem, ad

Digitized by Google

uberiorem, & fertiliorem agrum. Feſtinemus, ut habitemus ſine metu, abundemus ſine defectu, epulemur ſine faſtidio. Tu enim Domine Sabaoth, qui cum tranquillitate iudicas omnia, etiam cum ſecuritate æquè omnia paſcis. Idem ipſe Dominus exercituum, & paſtor ovium. Ergo & paſcis, & cubas pariter, ſed non hìc.

426 Denique ſtabas, cùm è cœlo proſpiceres unā ex tuis oviculis (Stephanum loquor) à lupis circumdari ſuper terram. Et propterea quæſo indica mihi, ubi paſcas, ubi cubes in meridie, hoc eſt tota die. Etenim illa meridies tota eſt dies, & ipſa neſciēs veſperam. Et ideo melior dies illa in atrijs tuis ſuper millia, quia neſcit occaſum. ibid.

427 O verè meridies plenitudo fervoris, & lucis, ſolis ſtatio, umbrarum exterminatio, deſiccatio paludum, fœtorum depulſio. ibid.

428 O perenne ſolſtitium quando iam non inclinabitur dies, ò lumen meridianū, ò verna temperies, ò ęſtiva venuſtas, ò autumnalis ubertas, & ne quid videar præteriſſe, ò

quies,

quies, & feriatio hyemalis. ibid.

429 Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem Patris mei. Cibus utique, ſed cibus cordis. Quid enim æquè confirmat, & cor roborat humanũ? quid ita in omni neceſſitate confortat, & ſuſtentat, ut divinæ voluntatis exequutio, velut in quendam animæ ventrem, conſcientiam ſcilicet eius ingeſta? Bern. ſerm. 3. Domin. Palm.

430 Mirabilis paſſio tua Domine Ieſu, quæ paſſiones omnium noſtrũ propulſavit: propiciata eſt omnibus iniquitatibus noſtris, & nulli unquã peſti noſtræ invenitur inefficax. idem ſerm. in 4. fer. hebdom. pœnoſæ.

431 Hoc eſt vivere in conſpectu Dei, digna Dei verbo negocia gerere. Oculi Domini ſuper iuſtos. Ambroſ. lib. 2. de Abraham circa fin.

432 Eſcæ malorum ſunt voluptates corporis. His quiſquis intendit, laqueo innectit animam ſuam. Qui autem ab eſcis eius temperat, & de tenebris eius exit, eius anima fulget, ut diluculum, de qua dicitur; Quænam hæc eſt proſpiciens tanquam diluculum; ſpecioſa ſicut luna? Idem

Digitized by Google

de Iſaac, & an. c. 7. in fine.

433 Diſce, ò Chriſtiane à Chriſto, quemadmodum diligas Chriſtum. Diſce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter. Dulciter ne illecti; prudenter ne decepti; fortiter ne oppreſſi ab amore Domini avertamur. Bern. ſerm. 20. ſuper Cantic.

434 Ne mundi gloria, ſeu carnis voluptatibus abducaris, dulceſcat tibi præ his ſapientia Chriſtus. Ne ſeducaris ſpiritu mendacij, & erroris, luceſcat tibi veritas Chriſtus.

435 Ne adverſitatibus fatigeris confortet te virtus Dei Chriſtus.

436 Zelum tuum inflammet charitas, informet ſcientia, firmet conſtantia. Sit fervidus, ſit circunſpectus, ſit invictus. Nec teporem habeat, nec careat diſcretione, nec timidus ſit.

437 Iſta mors, in qua caro ſeparatur ab anima, umbra illius mortis eſt, in qua anima ſeparatur à Deo. In lucem ergo umbra mortis producitur, cùm intellecta morte ſpiritus, mors carnis minimè timetur. Greg. lib. 11. moral. c. 12.

438 Oſculamur Redemptoris pedes

des cùm myſteriũ incarnationis eius ex toto corde diligimus. Vnguento pedes ungimus, cùm ipſam humanitatis eius potentiam ſacri eloquij bona opinione prædicamus.

439 In illis cordibus Dominus requieſcit, quæ amor præſentis ſeculi non incendit, quæ carnis deſideria non exurunt, quæ incenſa ſuis anxietatibus in huius mundi concupiſcentijs non areſcunt. idem homil. 33. in Evangel.

440 Faſtidit ſancta mens omnia, quæ per corpus ſentit, & in illa ſpiritalia tota tranſmutari concupiſcit: & dum iſta obſtrepunt in illa fugit, ſeq; abſcondere ne hæc ſentiat, appetit. Idem expoſit. ſuper Cantic. c. 1.

441 Vendidit populum Iudæorũ non inclementia Dei, ſed ſua culpa: quibus rectè dicitur; Ecce peccatis veſtris venditi eſtis, & propter iniquitates veſtras dimiſi matrem veſtram. Ambroſ. in pſal. 43. verſ. Vendidiſti.

442 Hoc itaque genere venditus populus Iudæorum, emptus eſt populus Chriſtianus. Ille peccatis venditus, hic emptus ſanguine. Vnde Petrus ait: Non corruptibilibus argen-

ſo, vel auro empti eſtis, ſed precioſo ſanguine. Cuius eſt ſanguis precioſus, niſi illius agni immaculati, hoc eſt Domini noſtri Ieſu Chriſti? ibid.

443 Ergo ſine precio populus Iudæorum, precioſus autem populus Chriſtianus. Ille precium non habet, quia peccatum habet: iſte in precio eſt, cui peccatum remiſſum eſt. ibid.

444 Qui venditur vilis, & ſine precio eſt, quaſi qui non ſit. Vnde & Aquila dixit: Tradidiſti populum tuum, ut non eſſet. Et Symmacus: Tradidiſti populum tuum ſine ſubſtantia. Non ſunt enim, qui repudiantur à Chriſto: ſunt autem, qui eliguntur à Domino. ibid.

445. Dominus dixit: factus ſum illis in parabolam: adverſũ me exercebantur, qui ſedebant in porta. In parabolam autem factus, quia dicitis, inquit, medice cura te ipſum. In parabolam factus eſt, quia ſedentes in porta increpabat. ibid. verſ. Poſuiſti nos in parabolam, vel ſecundum vulgatam in ſimilitudinem.

446 In exitu enim non otioſi, ſed exerciti eſſe debemus. Ideoque ſcriptum eſt: Videte ne fiat fuga veſtra hye-

hyeme, vel ſabbato. Hoc eſt non in ocio, ſed in negocio. (Negocium verò non huius mundi, ſed noſtræ ſalutis, de quo Dominus ait: Negociamini dum venio. Et Apoſtolus; Obſecro vos, ut veſtrum negocium agatis. Contrà vero dicitur in pſalmo: Quoniam non cognovi negociationem, introibo in potentias Domini, ideſt ſeculi huius.) ibid.

447 Factus eſt etiam Ieſus in parabolam, quia carnem ſuſcepit, quam crucifixerunt Iudæi, non intelligentes parabolam ſpiritalem. Eo uſque enim non intellexerunt, ut cùm auctorem vitæ crucifigerent, & ſuſpenſam in cruce cernerent carnem Domini ſalutarem, moverent caput. Nam ſi intellexiſſent, utique non inſultaſſent, ſed ingemuiſſent. (Nos autẽ, qui illuminato fidei oculo conſitemur, & intelligimus, cur malis operibus Dominum exagitamus? patientiæ, & longanimitati eius quodammodo irrogamus iniuriam, & ferè irridemus.) ibid.

448 Cervi ſimilitudinem ſuſcipit Chriſtus, quia veniens in terras ſerpentem illum diabolum ſine ulla ſui

offenſione protrivit: cui calcaneum ſuum obtulit, ſed eius venena non ſenſit. Vnde dictum eſt ei: Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis. Ambroſ. in pſal. 41.

449 Simus ergo & nos cervi, ut ſuper ſerpentes ambulare poſſimus. Erimus cervi, ſi vocem Chriſti ſequamur, quæ nos & præparat cervos, & facit morſus ſerpentium non timere: ac ſi qui fortè fuerint vulnerati, aufert eorum dolorem ſolvendo delictum. ibid.

450 Fecit te Deus tuus, fecit tam multa propter te, fecit propter te & ſemetipſum; Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Quid adhuc reſtat? factus eſt ipſe tecum caro una; te quoque ſecum faciet ſpiritum unum. Bern. ſerm. 14. in pſal. Qui habitat.

451 Non recedant hæc quatuor à corde tuo, non ab ore, non à memoria, non ab affectione. Hæc cogita ſemper, in his iugiter delectare.

452 His velut quibuſdam ſtimulis urge, ſolicita animam tuam, his facibus eam inflammare cùm ad redamandum eum, qui tàm multipliciter

ſuum

ſuum tibi erga te commendat amorem. ibid.

453 Meméto ſane quòd idem ait: Si diligitis me, mandata mea ſervate. Serva igitur mandata Creatoris tui, ſerva mandata benefactoris tui, remuneratoris tui.(Exquiramus itaque mandata Dei cum Propheta: hoc eſt ſtudeamus operando implere, quod diſcimus, ut accipiamus intelligere, quod doceamus.)ibid.ex Greg.lib.11. moral. c. 10.

454 Cum ipſo vulnere Ieſus de tumulo reſurrexit, cucurrit ad cœlũ ſupra omnes Angelos, & Archangelos, velocior omni equitatu militiæ cœleſtis inventus: ſupra equos etiam illos igneos, quibus Elias raptus eſt. Ambroſ. in pſal. 40.verſ. Etenim homo pacis meæ.

455 Et meritò velocior, qui ſuper omnes cœlos, & ſupra cœlum cœlorum ad ſedem Dei omnipotentis aſcendit, & ſedet, ut ſcriptura nos docuit, dicens: Videbitis ab hinc filium hominis ſedentem ad dexteram virtutis Dei.

456 De Domino Ieſu Chriſto dictum eſt: equitatus tuus ſalus: quòd

caro eius mundi totius erat ſuſceptura peccatum, ut ſalus pro exitio, & vita æterna pro morte ſuccederet. ibid.

457 Illum, qui venit crediturus in Chriſtum, ut eum mors Chriſti inveniat, crux eius aſſumat, clavus infigat, ſanguis infundat, ſepultura quoque eius involvat, gratia reſurrectionis attollat, de ſomno ſuſcitet, à morte vivificet. ibid.

458 Illum, inquam, à ſeculo liberat, à peccato mundat, ſanat à vulnere, à duritia impietatis inflectit, ad manſuetudinem pietatis emollit, ut circumciſo corde ſuavem illum, & incomprehéſibilem hauriat ſpiritum, bibat poculum ſalutis æternæ. (Penſa quę & quanta bona dantur ſequẽtibus Chriſtum.) ibid.

459 Filius Dei hominem aſſumpſit, & in illo humana perpeſſus eſt. Hæc medicina hominum tanta eſt, quanta non poteſt cogitari; nam quæ ſuperbia ſanari poteſt, ſi humilitate Filij Dei non ſanatur? Quæ avaritia ſanari poteſt, ſi paupertate Filij Dei non ſanatur? Quæ iracundia ſanari poteſt, ſi patientia Filij Dei non ſana-

tur?

tur: Quæ impietas ſanari poteſt, quæ charitate Filij Dei non ſanatur? Poſtremò quæ timiditas ſanari poteſt, ſi reſurrectione corporis eius non ſanatur? (Reſurrectio Ieſu Chriſti timorem fugat omnem: confirmat, & munit.) Aug. lib. uno de agone Chriſtiano c. 11.

460 Erigat ſpem ſuam genus humanum, & recognoſcat naturam ſuam, & videat quantum locum habeat in operibus Dei. ibid.

461 In imagine Dei ambulat homo, ideſt ad imaginem Dei. Imago autem Dei Chriſtus: qui eſt ſplendor gloriæ, & imago ſubſtantiæ eius. Chriſtus ergo imago Dei venit ad terras, ut iam non in umbra ambularemus, ſed in imagine. Ambroſ. in pſal. 38. verſ. Et quamquam in imagine, ſive veruntamen.

462 In imagine autem ambulat, qui ſequitur Evangelium. Ideo diſcipulo ſuo dicit: Vade retro me, ut me ſequaris. Bona imago, non ceris picturæ fucata radiantis, ſed plenitudine divinitatis expreſſa. In qua imagine, & Pater ſimul videtur & Filius, quia per utrumq; eorum unitas ope-

ra-

rationis effulget. ibid.

463 Dominus Ieſus exultatio univerſæ terræ, quoniam Eccleſiam ſibi ex peccatoribus congregavit. Itaque qui erant ante latera aquilonis, ideſt ſocij, & inhærentes diabolo, cui dicitur: Exurge aquilo, & veni auſter, facti ſunt Chriſto fideles. Ambroſ. in pſal. 47. verſ. Dilatans exultationem: ſeù fundatur exultatione univerſæ terræ.

464 Quanto magis appropinquat Deo noſtra cognitio, tantò præcellentior eius nobis videtur eſſe maieſtas. Denique Thomas, qui ante dicebat: Niſi videro in manibus eius fixuras clavorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam: ubi miſit digitum ſuum, & evidentia reſurrectionis cognovit indicia, admirans intra ſe Dei gratiam: Dominus, inquit, meus, & Deus meus. ibid. verſ. Magnus Dominus.

465 Tunc ergo pleniſſimè divinitatem eius, dominationemque confeſſus eſt, ubi eum reſurrexiſſe, non dubitavit, ab inferis. Reprehenditur Magdalena, quæ Chriſtũ quaſi mortuum flebat, & quaſi ſepultum quærebat

rebat

rebat in tumulo. ibid.& pſal.45. verſ. penul.

466 Si oculatiſſimum iudicem Dominum Ieſum timent etiam agni, quantum nos ad illius examinis memoriam convenit trepidare? Bern. in pſal. Qui habitat ſerm. 15.

467 Hoc vel maximè iudicium veſtigemus, & eo ampliùs frequentemus in timore, & tremore ipſius conſiderationem, quo minus comprehendere poſſumus inveſtigabilem abyſſum iudiciorum Dei, & irrefragabilem diſpoſitionem. ibid.

468 Cum hoc timore ſpes habet meritum, cum hoc metu fructuosè ſperatur. Eſt autem his ipſe timor firmiſſima quædam, & efficax materia ſpei, ſiquis prudẽter advertat. Siquidem maximum quoddam Dei donũ timor iſte, & ex perceptione præſentium firma eſt expectatio futurorũ. (Bonus timor, qui non diſſipat ſpem, ſed firmat, non eijcit à facie Domini, ſed convertit: non generat titubantiam, ſed munit fortitudinem, excludit hæſitationem, ut poſtulemus cum fiducia.) ibid.

469 Quoniam in me ſperavit, libera-

berabo eum. Dulciſſima liberalitas in ſe ſperantibus non deeſſe. Hoc enim totum hominis meritum, ſi totam ſpem ſuam ponat in eo, qui totum hominem ſalvum facit. In te ſperaverunt Patres noſtri, ſperauerũt, & liberaſti eos; ad te clamaverũt, & ſalvi facti ſunt, in te ſperaverunt, & non ſunt confuſi. Quis enim ſperavit in eo, & confuſus eſt, ſperate in eo omnis congregatio populi. ibid.

470 Non intra hunc mundum quæritur Chriſtus, qui ſupra mundum ſuos voluit eſſe diſcipulos. Quæ eſt corona, qua coronatur Chriſtus, niſi corona gloriæ? Ioſeph coronam habuit caſtitatis, Paulus iuſtitiæ, Petrus fidei: ſingularum virtutum coronæ ſunt, quę gloria, non portio unius coronæ, ſed præmium omniũ coronarum eſt. (Vide effuſam Domini magnificentiam: ipſe dat virtutem populo ſuo, electis ſuis: tribuit non modò perficere, ſed & velle pro bona voluntate; & tamen virtutum coronis, quæ ſuæ ſunt à matre ſua, quæ eſt Eccleſia, cuius eſt fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere, lapis angularis, qui connectit

eam.

eam, ſubſtinetque indiviſam, ſe coronari fatetur. O ineffabilem Domini bonitatem! Ambr. in pſ. 118.

471 Non nimiùm confidant, qui ſtant ſecum crebrò illud repetãt; Qui exiſtmat ſe ſtare, videat ne cadat. Nec deſperent, qui ceciderunt; ſed dicant ſecum. Numquid; qui cadit, non reſurgit? Chryſoſt. hom. 27. in Matth. col. 16. & ſequen.

472 Per anguſtum iter ſic incedamus, ut confidere, & timere verè videamur; timentes quoniam ex utraque itineris parte varia præcipitia ſunt; confidentes quoniam Ieſus dux noſter eſt.

473 Clama in cœlum, ut exaudiaris, & qui in cœlis eſt Pater, mittat tibi auxilium de Sancto, & de Sion tueatur te. Mittat interim auxilium de tribulatione, glorificet in reſurrectione. Bern. in ſer. 16. in pſalm. Qui habitat circa finem.

474 Magna ſunt hæc, ſed tu magna promiſiſti: ex tua promiſſione petamus, inde audemus dicere: ſi corde clamemus pio, certè debes ex promiſſo. ibid.

475 Surſum cor, ſurſum clamor, ſur-

ſurſum deſideria, ſurſum converſatio, ſurſum intentio, & omnis expectatio tua de ſurſum ſit. ibid.

476 Vtilis tribulatio, quæ probationem operatur, ducit ad gloriam. Cum ipſo ſum, inquit, in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. idem ibid. ſerm. 17.

477 Agamus gratias Patri miſericordiarum, qui nobiſcum eſt in tribulatione, & in omni tribulatione noſtra nos conſolatur. ibid.

478 Res neceſſaria tribulatio, quę in gloriam vertitur; triſtitia, quæ mutatur in gaudium. Gaudium ſanè longum, quod nemo tollit à nobis, gaudium multiplex, gaudium plenum. ibid.

479 Propior ſaluti eſt, qui moritur, vt reſurgat, quàm ille, qui vivit, ut moriatur. Quis eſt autem, qui quotidie moritur, niſi qui mortem Domini Ieſu ſua carne circumfert, ut omnia ei peccata moriantur. Ambroſ. pſal. 37. ver. Inimici mei vivunt.

480 Ne derelinquas me Domine. Tu ſolus me non derelinquas, tu hæreas ſervulo tuo, qui de terra ſuſcitas inopem, & de ſtercore erigis pau-

pauperem. Tuo comitatu fretus frequentiorem me ambientibus populis æſtimabo. ibid.

481 Bonæ triumphalium vulnerum cicatrices, quibus victores huius terreni prælij gloriantur. Quanto illuſtriora vulnera, quæ pro fide, & nominis tui gloria videntur excepta? ibid.

482 Triſtis eſto antequam confitearis, confeſſus, exulta, iam ſanaberis. Non confitentis conſcientia ſaniem collegerat, apoſtema tumuerat, cruciabat te, requieſcere non ſinebat: adhibet medicus fomenta verborum, & aliquando ſecat; adhibet medicinale ferrum incorruptione tribulationis: tu agnoſce medici manum, confitere, exeat in confeſſione, & defluat omnis ſanies, iam exulta, iam lætare; quod reliquum eſt, facilè ſanabitur. Aug. in pſal. 66. col. 11.

483 Exhauri quotidie aquam iniquitatis de anima tua, ne plus intrãdo cumulum faciat, & navim deprimat: ieiunando, orando, eleemoſynas faciendo, dicendo puro corde: dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

Dicen-

484 Dicendo iſta, ambula ſecurus, & exulta in via, canta in via, noli timere iudicem; antequam eſſes fidelis, timebas, ſed iam inveniſti ſalvatorem: impium te quæſivit, ut redimeret, redemptum deſeret, ut perdat?

485 Si Chriſtum diligeremus, ſicut oportet diligere, cognoſceremus, quòd gehenna gravius eſt dilectum offendere: quoniam autem non diligimus, huius pœnæ neſcimus magnitudinem. Chryſoſt. hom. 48. ad popul. Antiochen. tom. 5.

486 Ingrediatur unuſquiſque cō-ſcientiam ſuam, & peccata reputans, diligenter à ſemetipſo pœnas exigat, ne quandoque cum orbe terrarum condemnemur. Tremendum enim illud ſubſellium, horrendum tribunal, tremore plena iudicia, ignis funditur fluvius, frater non redimit, redimet homo? (Si minores ſedes iudicantium pavorem faciunt, quid ſedes Domini iudicantis in maieſtate ſua? Nimia charitas erga nos Redēptoris, tubis multis vocationum, auxilio multiformis gratiæ ſuæ iugiter pręſtita? Quomodò feret homo, quæ

cogi-

cogitare nullatenus poteſt?] ibid.

487 Quid agemus [quod & omnium eſt terribiliſſimum] cùm Deũ offenderimus? Si quis enim ſenſum habet, & mentem, iam & gehennam ſuſtinuit, poſtquàm ex Dei conſpectu „ receſſit: ſed poſtquã hoc non dolet „ propterea ignis intentatus eſt. Oportebat enim, non quãdo punimur dolere, ſed quando peccamus. ibid.

488 Non cœleſtia, non terrena, non aliud cupio, niſi te Deus. Hoc eſt amor, hoc charitas. Si ſic amemus non præſentia tantùm, verùm & futura nihil ad amorem illum cenſebimus. ibid.

489 Cogitemus, quoties eum affecimus contumelia poſt infinita bona, ipſe verò perſtitit rogans: quoties ipſum neglexìmus, ipſe verò non deſpicit, ſed occurrit, & allicit, & ad ſe ipſum trahit. ibid.

490 Eſt ſagitta electa amor Chriſti, quæ Mariæ animam non modò confixit, ſed etiã pertranſivit, ut nullam in pectore virginali particulam vacuam amore relinqueret: ſed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret, & eſſet gratia plena. Bernard.

ſerm.

ſerm. 39. in Cantic.

491 Aut certè pertranſivit eam, ut veniret uſque ad nos, & de plenitudine illa omnes acciperemus, & fieret mater charitatis cuius pater eſt charitas Deus; parturiens, & in ſole ponens tabernaculũ eius, ut ſcriptura impleretur, quæ dicit: Dedi te in lucem Gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ. ibid.

492 Hoc enim impletum eſt per Mariam, quæ in carne viſibilem edidit, quem inviſibilem nec de carne, nec cum carne ſuſcepit. Et illa quidẽ in tota ſe grande, & ſuave amoris vulnus accepit. Ego verò me felicem putaverim, ſi ſumma ſaltem quaſi cuſpide huius gladij pungi interdũ me ſenſero, ut vel modico accepto amoris vulnere dicat etiam anima mea: Vulnerata charitate ego ſum. ibid.

493 Oportet propter Chriſtum omnia facere, non propter mercedẽ, ſed propter ipſum. Nam & propterea gehennam minatus eſt, & regnum pollicitus, ut à nobis diligatur. Diligamus igitur eum, ſicut oportet diligere. Ex Chryſoſt. tom. homil. 48. ad pop. Antiochen.

San-

494 Sanguis Chriſti Ieſu ſalus eſt animarum noſtrarum, hoc abluitur anima, hoc adornatur, hoc inflammatur. Hic mentem noſtram igne reddit ſplendidiorem, hic auro clariorem animam facit. Ex eod. homil. 61. col. 2.

495 Hic ſanguis effuſus eſt, & cœlum fecit acceſſibile, horrenda ſcilicet Eccleſiæ myſteria, horrendum altare: aſcendebat ex paradiſo fons fluvios emittens ſenſibiles: ex hac menſa fons aſcendit ſpirituales emittens fluvios. [Inacceſſum fecerat culpa cœlum, clauſerat portas eius: per virtutem ſanguinis patet Domini Ieſu: nec portæ ferreæ reſtiterunt, nec vectes ænei: tota paradiſi clavis ſanguis eſt Chriſti.]

496 Ex illo unico Dei verbo quatuor fluviorum prudentiæ, & fortitudinis, temperantiæ quoque, & iuſtitiæ fluenta manarunt. Ambroſ. Pſ. 45. verſ. Fluminis, &c.

497 Paſſus eſt Dominus Ieſus, & ſanguine ſuo noſtra peccata delevit, lux refulſit conſcientiæ purioris, & dies reſplenduit gratiæ ſpiritalis. Ambroſ. Pſ. 45. verſ. Addiuvabit, &c.

Evi-

Digitized by Google

498 Evigilavimus, igitur iam non dormiamus. Veſtem lucis induimus, non in amictum tenebroſæ converſationis, atque exuvias revertamur. Ibidem extende, quæ ſequuntur.

499 Non ampliùs Prophetas, non Angelos, non Patriarchas, ſed ipſum miſit Pater Filium, Filiũ unigenitũ, atque legitimum. Et ipſe veniens occiſus eſt: neque ſic amorem extinxit, ſed magis accendit. ibid.

500 Permanet obſecrans, & poſtquam ipſius interfectus eſt Filius, & ſupplicans, & omnia agens, ut ad ſe convertat. Clamat Paulus dicens: Pro Chriſto itaque legatione fungimur, tamquam Deo per nos exhortante, ut conciliemini Deo.

501 Quid prodeſt patens, & ſanus oculus, ſi lumen deſit? Ergo dic à te tibi lumen non eſſe, & clama, quod ſcriptum eſt, Tu illuminabis lucernam meam Domine. Lumine tuo Domine illuminabis tenebras meas. Auguſt. ſerm. 9. de verb. Domini ſecundum Matth.

502 A me enim nihil niſi tenebrę, tu autem lumen fugans tenebras, illuminans me, non à me mihi lumen exi-

exiſtens, ſed lumen non participans niſi in te. ibid.

503 Et inhabitabo in eis, & deambulabo in illis. O quanta illi animæ latitudo, quanta & meritorum prærogativa, quæ divinam in ſe præſentiam, & digna invenitur ſuſcipere, & ſufficiens capere? Bernard. ſerm. 27. in Cantic.

504 Quid illa, cui & ſpatia ſuppetunt, & deambulatoria ad opus quidem maieſtatis? Non eſt profectò intricata forenſibus cauſis, curiſve ſecularibus; nec certè ventri, aut luxuriæ dedita; ſed nec curioſa ſpectandi, ſeu cupida omninò dominandi, vel etiam tumida dominatu. ibid.

505 Oportet namque primò quidem his omnibus vacuam eſſe animam, ut cœlum fiat, atque habitatio Dei: alioquin quomodo poterit vacare, & videre quoniā ipſe eſt Deus? ibidem.

506 Genuit peccatores morti obnoxios primus peccator, primus prævaricator: venit ad ſanandos de virgine Salvator, qui ad te, non qua veniſti, venit. Auguſt. ſerm. 4. de verb. Apoſtol.

507 Noli te extollere, puſillus eſto, Zacheus eſto. Sed dicturus es; ſi Zacheus fuero, præ turba nō potero videre Ieſum; noli eſſe triſtis, aſcende lignum, ubi pro te pependit Ieſus, & videbis Ieſum. [Si elatus aſcendis, quamvis crucem, abſcondit ſe Ieſus, cernes quidem arborem ſalutis, ſed non ſalvatorem: vitale lignum ſpectabis, non auctorem vitæ: parum prodeſt crucis conſideratio cum ſuperbia: ſuper humilē Ieſus quies eſt: ſi quid eſt in te virtutis Deo tribue.] Auguſt. ibid. ſer. 8.

508 Nullus hominum in iſta, quæ ex Adam defluit maſſa mortalium, nullus omninò hominum non ægrotus, nullus ſine gratia Chriſti ſanatus. Auguſt. ibid. ſerm. 10.

509 Cœlum eſt, ubi culpa ceſſavit. Cœlum eſt ubi flagitia nō ſunt. Cœlum eſt, ubi nullū mortis vulnus eſt. [In cœlo itaque Dominus, in corde ſcilicet, ubi culpa abeſt: Cœli quoque enarrant gloriam Dei, ideſt animæ puræ, quas à peccatis Redemptor abſolvit.] Auguſt. de verb. Domini ſecundum Matth. ſerm. 28.

510 Nihil tam inimicū ſpei, quàm

retro

retro-reſpicere, ideſt, in eis rebus, quæ prætereolabuntur, & tranſeunt ſpem ponere; ſed in his, quæ nondum datæ ſunt, ſed dandæ, quæ numquam tranſibunt, non ſperare. ibid. ſerm. 29. ſecundum Luc.

511 Ieſus Chriſtus heri, & hodie, ipſe eſt in ſecula. In ſuperiori die promiſſio eſt, in conſequenti ſolutio. Sed quia heſterna die, neque Moyſes, neque Ieſus Nave populum induxit in requiem; hodierna die Chriſtus induxit, cui dixit Pater; Ego hodie genui te. Ambroſ. enarrat. 2. ad Horontiam in Geneſim.

512 Per ſuam enim reſurrectionem Ieſus populo requiem comparavit. Requies enim in cœlo, non in terra eſt. Requies noſtra, Dominus eſt Ieſus, qui ait; Hodie mecum eris in paradiſo. ibid.

513 Quia ſerpentis fraudibus involuta eſt humani generis hęreditas, in eo aſtutiam ſerpentis ſequamur; ut caput noſtrum non proijciamus in pericula, ſed præ cæteris integrum cuſtodiamus. Caput autem noſtrum Chriſtus eſt. Hoc mandat incolume, ut ſerpentis venena nobis nõ poſſint

Digitized by Google

nocere. idem enarrat. ad Sabin.

514 Accedamus ad ſacerdotem novum, ad ſedem gratiæ, viſitatorẽ animarum noſtrarũ, ſacerdotem non ſecundum legem mandati carnalis creatum, ſed ſecundum virtutem inſolubilem electum. Non enim ipſe ſibi honorem præripuit, ſed electus à Patre eſt, ſicut ipſe Pater ait; Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. idem enarr. 2. in Geneſ. ad Horontian.

515 Alij ſacerdotes pro ſe offerebant, & pro populo ſuo: hic, quia nõ habuit peccatum, ut pro ſe offerret, pro univerſo mundo ſe obtulit, & per ſanguinem ſuum intravit in Sancta. Hic eſt ergo ſacerdos novus, & nova hoſtia, non ex lege, ſed ſupra legem; advocatus mundi, lux ſeculi, qui dixit; Ecce venio; & venit. ibid.

516 Conſentaneum eſt rationi, ut primò Deus cœlum faceret, quod eſt pulcherrimum: oportet, ut eò primùm oculos erigamus, illò nobis cõtendendum eſſe arbitremur, illam ſedem terrenis omnibus præferendam putemus. ibid.

517 Meridies eſt ei, cui iuſtitię Sol reful-

refulget, & cuius opere bono, vel cogitationibus innoxijs, & pura mente, atque ſincera paſcitur Chriſtus. Ambroſ. in pſalm. 118. octon. 8. verſ. media nocte.

518 Super omnes ſol oriri iubetur. Et hic quidem ſol quotidie ſuper omnes oritur. Myſticus autem ſol ille iuſtitiæ, Ieſus Dominus, omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus eſt, & omnibus reſurrexit. Ideo autem paſſus eſt, ut tolleret peccatum mundi.

519 Si quis autem non credit in Chriſtum, vel non vivit ita, ut credit: generali beneficio ipſe ſe fraudat: ut ſi quis clauſis feneſtris radios ſolis excludat, non ideo ſol non ortus eſt omnibus, quia calore eius ſe ipſe fraudavit: ſed quod ſolis eſt, prærogativam ſuam ſervat: quod imprudentis eſt, cõmunis à ſe gratiam lucis excludit. ibid.

520 Regit te Deus ſub iugo ſuo, & ſub ſarcina ſua. Vt enim ſarcina eius ſit levis, & iugum eius ſuave, ille tibi amorem inſpiravit. Amanti ſuave eſt, non amanti durum eſt. Amanti ſuave eſt, Dominus dedit ſua-

Digitized by Google

vitatem. Auguſt. ſerm. 12. de verb. Apoſtol.

521 Oſculetur me oſculo oris ſui. Ac ſi diceret; Ego non viribus meis, non induſtria, non meritis ad contẽplanda gaudia Domini mei aſſurgere valeo: ſed ipſe me oſculetur oſculo oris ſui, ideſt eius gratia fiat, non per doctrinam, non per naturam, ſed per gratiam ſuam oſculetur me oſculo oris ſui. Bernard. ſerm. 32. inter paru.

522 Cum dicit; Oſculetur: operantis gratia monſtratur: cum ſupponit; oſculo; ipſum opus, ideſt contemplatio deſignatur. Cum verò adiungit; oris ſui; modum operis, ſcilicet quo fiat contemplatio, evidenter expreſſit.

723 Per os quippe verbum intelligitur: fit autem contemplatio ex condeſcenſione verbi Dei ad humanam naturam: per gratiam, & exultationem humanæ naturæ ad ipſum Verbum per divinum amorem. ibid.

524 Quid digne offeram Domino pro miſericordia eius? Victimas quęram de grege ovium, arietem eligã, taurum aliquem in armentis proſpiciam,

ciam, thura certè de terra Sabæorum offeram? Quid offeram, niſi quod ait, Sacrificium laudis honorificabit me? Auguſt. in Pſal. 53. col. 10.

525 Sed ſacrificabo voluntariè; quia gratis amo, quod laudo. Laudo Deum, & in ipſa laude gaudeo: ipſius laude gaudeo, quē laudare non erubeſco. Laudetur voluntate, ametur charitate; gratuitum ſit, & quod amatur, & quod laudatur. ibid.

526 Deus Chriſtianorum, verus Deus ipſe veniet, ſed manifeſtus, nō adhuc calamo in capite percutiēdus, non adhuc illudendus, nō adhuc alapandus, non adhuc flagellandus: non adhuc crucifigendus, occidendus, ſepeliendus: quia hæc omnia occultus Deus pati voluit. idem in Pſalm. 49. col. 6.

527 Iam Chriſtus venit, iam magnificatus eſt, iam ſurrexit, & aſcendit in cœlum, iam nomen eius toto mundo prædicatur; quouſque graves corde? Sufficiant præterita tempora. Iam magnificato illo ſancto quouſque graves corde. Aug. ſerm. 12. de verb. Domini col. 3. ſecundum Matth.

528 Vbi ſunt duo in nomine meo congregati, ibi ſum in medio eorum. Vbi Chriſtus eſt medius, ibi magna multitudo. Vbi Chriſtus eſt, ibi neceſſarium eſt & Angelos eſſe, neceſſarium & Archangelos, & alias virtutes. [Non ſumus ergo ſoli, habentes Dominum.] Chryſoſt. homil. 42. ad popul. Antioch. col. 5.

529 Factam peccatis vetuſtã animam age in fornacem confeſſionis; ex multa altitudine malleum infer, hoc eſt verborum damnationem: ſpiritus ignem accende: hoc & ærario, & aurifice multò melius eſt: digniorem utroque artem habes. ibid. col. 6.

530 Non ita rubiginem ignis excoquere ſolet, ſicut oratio nocturna noſtrorum rubiginem peccatorum. ibidem.

531 In extremam lapſorum nequitiam nemo de ſe deſperet: magna enim vis pœnitentiæ: ſiquidem, ut nivem nos reddit, & ut lanam albefacit, licèt præveniens peccatum noſtras infecerit animas. ibid. col. pen.

532 Aſſiduè perpende rerum humanarum naturam, quæ nihilo meliùs habet, quàm omnium defluxus,

& fu-

Digitized by Google

& fumo in aërem evaneſcente fugacior eſt, & umbra prætercurrente inanior. idem Homil. 14. quæ eſt de Auarit. col. 6.

533 In his ſi philoſophatus fueris, nec ſuavia te poterunt inflare, nec moleſta deijcere: ſi præſentibus bonis non admodum hæreas, neque abſentibus diſcruciaberis, conſuefacies animum ad diverſorum expectationem. ibid.

534 Sicut in nequitia vivens, & ante gehennam punitur, conſcientia ſtimulatus: ſic meritis abundans, & ante regnum magna lætitia fruetur, ſe bona ſpe paſcens. idem homil. 16. col. 11.

535 Si preces fuderis continuas, & intentas, earum fructum auferre poterit nemo: hic etenim fructus in cœlo radicatus eſt, omni calumnia abſolutus, & permanens inexpugnabilis. [Peccatum tantummodò armaturam orationis confringit: evellit arborem ne fructum afferat: ſiquidem à Deo elongat, unde homo perit.] ibid. col. 12.

536 Omnia nobis in paradiſo ſumma ſunt, vera ſunt, ſancta ſunt, æter-

na ſunt. Panis noſter ibi iuſtitia eſt, potus noſter ibi ſapientia eſt, veſtis noſtra ibi immortalitas eſt, domus noſtra in cœlis, firmitas noſtra immortalitas. Aug. Pſ. 49. col. 19.

537 Cum ſpe ægrotat, qui medicum ſuſcipit; deſperatè ægrotat, qui per inſaniam medicum cædit. Qualis ergo eius inſania, qui medicum occidit? Quanta vero bonitas, & potentia medici, qui de ſanguine ſuo, inſano interfectori ſuo medicamentum fecit. Voca & tu Ieſum, noli tibi ſanus videri. Aug. ſerm. 8. de verb. Apoſtol. col. 5.

538 Propheta non ſolùm meditabatur in præmijs, ſed & in mandatis Domini, quæ dilexit. Quid enim prodeſt ſcire, quò ſit eundum, ſiquidem, quò debeas ire, nō noveris. Bernard. ſerm. 4. in Aſcenſ. Domin.

539 Propterea in corde tuo pone viam veritatis inquirere, ne fortè ſis de eorum numero, qui viam civitatis habitaculi non invenerunt. Magis autem ſolicitus eſto aſcendere non modò cogitatione cœleſtis gloriæ, ſed & converſatione, quæ cœleſtem gloriam mereatur. ibid.

Vt

540 Vt in cœlum aſcendas priùs neceſſe eſt levare te ſuper te, calcando carnalia deſideria, quæ in te militant adverſum te: ibid.

541 Sequere etiam aſcendentem crucem Ieſum, exaltatum à terra, ut non ſolùm ſuper te, ſed & ſuper omnem quoque mundum mentis faſtigio colloceris, univerſa, quæ in terris ſunt, deorſum aſpiciens, & deſpicies, ſicut ſcriptum eſt ; Cernent terrā de longè. ibid. [Si eris in mūdo, eique, à quo ſperas abundantiam rerū ſecularium, te humiliaveris, ſuſpicies illum veluti ſupra te, non ſicut infra, deſpicies : magna crucis Chriſti altitudo, & ſublimitas : ſi meditatione iugi eam aſcenderis rerum ſeculariū parvitatem, tanquam à ſpecula proſpicies : infra te erunt, te elevabunt ad cœleſtia.] Auth. 1646. 17. Iun.

542 Cogitemus naturam noſtrā, peccata recenſeamus, diſcamus, qui ſimus: & hoc nobis in totius humilitatis materiam ſufficit. Chryſoſt. homil. 2. ad popul. Antiochen. col. 12.

543 Hæreditas, in qua cohæredes Chriſti ſumus, non minuitur copia poſſeſſorum, nec fit anguſtior nume-

roſitate cohæredũ: ſed tanta eſt multis, quanta paucis; tanta ſingulis, quãta omnibus. Aug. Pſ. 49. col. 2.

544 Quid aliud eſt opus Dei, quã benefacere humano generi, ſive id fiat, per ſupplicia, ſive per relationẽ, & quietem? Non itaque proſperè tantum habentes gratias agamus: nã iſtud nihil eſſet magni. Io. Chryſoſt. in epiſt. ad Epheſ. hom. 19. col. 5.

545 Sed hic pauper eſt, inquit, & mala eſt paupertas. Quid verò eſt morbus? quid cœcitas? Nihil ſunt illa, ò homo: unum duntaxat eſt malum, peccare. ibid. col. 8.

546 Ne ſegnes ſimus, ut uno momento deliciemur: hoc enim eſt præſens vita: & infinitorum ſeculorum accerſamus nobis ſuppliciũ: ſed momento laboremus, uti perpetuò coronemur. idẽ in epiſt. 2. ad Corinth. Homil. 9. in Moral.

547 Tranſacto tempore, quo operari nos oportet, ſecundum Apoſtolum, nemo nos liberabit, non frater, nec pater, nec puer, nec amicus, nec vicinus, nec ullus: ſed ſi operibus deſtituti fuerimus, omnia tranſibunt, omninòque peribimus. ibid.

Quam-

548 Quamdiu ergo hic ſumus, rogemus Deum, ut non à nobis amoveat deprecationem noſtram, & miſericordiam ſuam, ideſt ut perſeveranter oremus, & perſeveranter miſereatur. Aug. in pſal. 65. col. pen.

549 Multi enim langueſcunt in orando, & in novitate ſuæ converſionis ferventer orant: poſtea languidè, poſtea frigidè, poſtea negligenter, quaſi ſecuri ſunt. Vigilat hoſtis, dormis tu. Ipſe Dominus præcepit in Evangelio; Quia oportet ſemper orare, & non deficere. ibid.

550 In hunc fluvium mortalitatis nemo ſe, mortalium rerum concupiſcentia, ſubvertat, ne rapiatur: facilè tranſit, qui humiliter, ideſt pede trãſit, duce illo, qui prior tranſit, qui de torrente in via uſque ad mortem bibit, propterea exaltavit caput. Ibid.

551 Dat vocem ſuam Dominus quotidie, & reſultat in cordibus ſingulorum: ut terrenum omne decidat eius, qui benè credit affectu; atque omnes interiorum sẽſus animorum, à corruptione luxuriæ, & diſſolutione ad cognitionem cœleſtium ſacramentorum, & ſtudium caſtitatis, à

nequitia ad virtutem, pia conſeſſione moveantur. Ambroſ. pſalm. 45. verſ. Cōturbatæ. (Vę mihi ſi factus fuero, velut aliàs, ſicut homo non audiens; aſpis ſurda aures obturans ſuas, ne exaudiat vocem incantantis ſapienter; fugiens vocem ſalutis, totus in auditu ſecularium. Quid faciam, ubi mę abſcondam à voce tubæ vocantis ad iudicium, à facie iudicantis, cuius neglexi vocem toties repetitam patienter, longanimiter advertentem, miſericorditer excitantem: nec proſunt cacumina mōtium, nec vallium ima, non denique abyſſus, neque aliud quicquam. Author.

552 Si tunc apparebimus, cùm Chriſtus apparuerit vita noſtra; non doleat, ſiquidem honorem hìc conſequuti non fuerimus. Si hæc vita, vita non eſt, ſed abſcondita eſt vita noſtra, tamquam mortui vitam iſtam vivere debemus, Chryſoſt. hom. 7. in epiſt. ad Colloſſeus. col. 5.

553 Sive igitur vituperemur, ſive aliud quicquam, quicquid ſit, patiamur, non lugeamus; non enim noſtra eſt vita hæc vita: advenæ ſumus, & peregrini. Nam, Mortui eſtis, in-

quit

quit Apoſtolus. Quis adeo deſipit, ut mortuo corpori, corpori ſepulto, aut famulos coëmere, aut ædes ſtruere, aut pretioſa indumenta cōparare cupiat? Nemo. ibid. [Magna & parēs veritas; non modò creditur, ſed videtur, & tangitur: verumtamen ſenſili parti, quæ in homine eſt, ſic repugnans, ut pauci ſecundum eam operentur. Imprime bone Ieſu, præceptor divine, illam cordi meo, ut tandem diſcam in tribulatione ſuſtinentiam, in anguſtijs latitudinem cordis.] Author.

554 Infirmiori palato cordis, & animæ languenti adhuc dura, & inſipida res videtur eſſe iuſtitia, ſed qui guſtaverunt, ecce ipſi ſciunt, quàm beati ſunt, qui eſuriunt illam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Bernard. ſer. 1. in feſt. omn. Sanctor.

555 O verè felix, & glorioſa ſatietas, ò ſanctum convivium, ò deſiderabiles epulæ, ubi nimirum anxietas nulla, nullum poterit eſſe faſtidiū: quoniam ſatietas ſumma, & ſummū inerit deſiderium. ibid.

556 Bonus Deus, & ſummè bonus, & de ſe ſibi bonus, & nullo alieno

no bono bonus, & ipſe noſtrum ſummum bonū: recedēdo inde, quid eris, niſi malus? Item, ipſe eſt beatitudo noſtra, quid erit recedenti, niſi miſeria? Auguſt. in pſal. 70. col. 10.

557 Verbum Deus apud Deum, Verbum, per quod facta ſunt omnia. Quid propter te? & Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Qui Filio proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodò ergo nō & cum illo omnia nobis donavit? ibid. col. 12.

558 Ecce quis, quid, propter quē. Filius Dei caro propter peccatorem, propter iniquum, propter deſertorem, propter ſuperbum, propter perverſum Dei ſui imitatorem. Factus ille, quod tu, ut nos efficeremur filij Dei. ibid.

559 Excole animam tuam, & ſpinas excide; ſemina verbum pietatis, pulchras diſciplinæ plantas inſere, & cum multa diligentia repaſtina: nam agricola factus es, & tibi dicet Paulus: Laborantem agricolam oportet primùm fructus percipere. Chryſoſt. hom. 3. ad popul. col. 6.

560 Abſurdarum undas concupi-

ſcen-

ſcentiarum reprime, repelle improbarum hyemem cogitationum, ſalva ſcapham, multam oſtende peritiam, & factus es gubernator. Horum autem omnium nobis materia ieiuniũ, & magiſter eſt. ibid.

561 Ieiunium autem dico, non hoc vulgare, ſed accuratum ieiuniũ: non tantùm ciborum abſtinentiam, ſed & peccatorum: non enim ieiunij natura peccata eripere ſufficit, niſi congrua cum lege fiat. ibid.

562 Tunc diabolus ſævior efficitur, tunc magis efferatur, cùm viderit nos cum diligentia vitam noſtram diſponẽtes; cùm viderit virtutis onera compoſita, & magnos acervos, tunc gravius inferre naufragium ſtuſtet. [Quàm utilis, & plena honoris virtutum ſarcina: allevat non deprimit huiuſmodi onus, rapit ſurſum, unde cecidit lucifer tenebræ factus: invidiæ accenſus facibus tentat nimis, ſtimulat, urget, quotidie crudelior inimicus.] Chryſoſt. hom. 1. ad popul. col. 6.

563 Sicut poma, cùm matureſcere cœperint, à ſuis cuſtodiuntur, maturaque faciliùs devorantur: ita &

adver-

adverſarius noſter irruentibus vitijs cuſtodit ſibi conſentientem animam, donec eam ad plenum voluntatis ſuę conſenſum adducens, valeat devorare, iuxta illud: Poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam. Quamdiu enim in ea ſcintilla lucet fidei, acerba eſt dentibus inimici. (Hinc Apoſtolus ad reſiſtendum diabolo quotidie nos adhortatur in fide.) Hieron. in pſal. 78.

564 Cogita, qui ſacrificij veteris participes erant quanta utebantur continentią, quid non faciebant? quid non agebant? ſemper expiabantur. Tu verò petes ſacrificium, quod horrent & Angeli, temporum circuliſtem definis. Chryſoſt. hom. 61, ad popul. col. 4.

565 Et quomodò Chriſti aſſiſtes tribunali, ſceleſtis manibus, & labijs ipſum corpus impetens; & fœtente quidem ore tuo regem oſculari non eligeres, regem verò cœli fœtente anima deoſculans. ibid.

566 Peccavi peccatum grande, quod ſanguine vitulorum, vel hircorum deleri non poteſt, quia non holocauſtis delectatur Altiſſimus. Memo-

moria mea infecta eſt fęce huius amurcæ, nō eſt novacula, quæ membranam hanc radere poſſit, quia tota totam imbibit fęcem. Bern. ſerm. in Nativit. Io. Baptiſt.

567 Si peccati mei oblitus fuero, ſtultus ſum & ingratus. Si in memoria meą permanet, arguet me in æternum; quid igitur faciam? Ibo ad Ioannem, & audiam vocem, ſermonem gratiæ, verbum remiſſionis, & pacis. Ecce, inquit, Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, ibid.

568 Ærugo mentis eſt rei cupiditas familiaris: ærugo mentis incuria eſt: ærugo mentis eſt appetentia dignitatum, ſi in his ſumma ſpes vitæ præſentis locatur. Hæc rubigo ſegetem animæ noſtræ putrefacit, aufert humiditatem illius aquæ, quæ ſalit in vitam æternam: unde dicitur: Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. Nec tollitur niſi tantùm oleo charitatis, iuxta illud; Oleo ſancto meo unxi eum: & unxit me unctione miſericordiæ tuæ. Ambroſ. in præfat. Evang. Luc. in fin.

569 Mens humana in diverſis huius mundi illecebris, & concupiſcen-

lentijs devicta fugit laborem, expetit voluptatem; & vix adducitur, ut conſuetudinem à ſe vitæ prioris excludat. Aug.ſerm.20. de Sanctis.

570 Sed,cùm cœperit cogitare ultimi diei neceſſitatem,ac futuri iudicij pondus; incitata, & ſtimulata, vel
„ ſpe præmij, vel timore ſupplicij vo-
„ luntarium bellum indicit paſſioni-
„ bus, & vim facit priſtinis ſuis deſi-
„ derijs, & violenter ſe vincere ipſe
„ contendit. ibid.

571 Nonne inimici eramus Dei, & malam cauſam habebamus adverſus Deum? Quis finiret cauſam iſtam malam, niſi ille medius arbiter Ieſus Chriſtus? Qui niſi venerat, miſericordiæ perierat iter de quo Apoſtolus dicit, Vnus enim Deus, unus & mediator Dei, & hominus homo Chriſtus Ieſus. Aug. in pſal. 103. p. 3. expoſit. 2. col. 5.

572 Corpus, quod geris terra eſt, ſed tu noli eſſe terra. Quomodò, inquis, non ero terra? Si terrena non ſapias. Audi Apoſtolum, ut non ſis terra: Nam corpus,quod geris, terra eſt, ſed tu noli eſſe terra. Quid eſt hoc? Si reſurrexiſtis,inquit,cũ Chri-

ſto,

ſto, quæ ſurſum ſunt, quærite, ubi Christus eſt in dextera Dei ſedens; quæ ſurſum ſunt, ſapite, non quæ ſuper terram. Si non ſapis terrena, non es terra, ſi non es terra, non manducaris à ſerpente, cui cibus data eſt terra. Ibid. col. 8.

573 Quid eſt Domine, quod aperis manum tuam? manus tua Chriſtus eſt, & brachium Domini, cui revelatum eſt? Cui revelatur, illi aperitur: revelatio enim apertio eſt. Revelante te Chriſtum tuum, univerſa implebuntur bonitate. Ibidem col. 9.

574 Bellum eſt in foro, pugnam quotidianam exhibent negotia, tempeſtas, & procella: Armis itaque nobis opus eſt, magna verò armatura, oratione opus eſt ventis à puppi, opus omnia diſcere, ut diei ſpatium abſq; naufragijs, & vulneribus tranſigamus. Chryſoſt. homil. 41. ad popul. col. 3.

575 Multi namque per ſingulos dies ſcopuli, & frequenter illiditur ſcapha, atque ſubmergitur: propterea nobis opus eſt oratione matutina præſertim, & nocturna. ibid.

576 Pœnitentem nūquam opor-
tet

tet oblivioni peccatum tradere, ſed Deum quidem rogare, ne eius meminerit, ipſum verò numquam ipſius obliviſci. Peccatum enim dum aperitur, minus efficitur: ſi verò tegatur, peius. ibid. col. 5.

577 O quàm leni, & dulciſſimo ſpiritu imbutus eſt ſpiritus illius, qui novit in ſpiritu lenitatis peccantem inſtruere, ſuſpendere vindictam, & affectuoſis viſceribus inviſcerare ſibi peccatorem, donec vitæ reddatur. De hac conſolationis mammilla lac conſolationis effunditur, & hoc lacte paſcit Apoſtolus illos, qui ſolido cibo paſci non poſſunt. Bern. ſerm. in feſt. Beat. Mariæ Magdalenæ.

578 Verbum, quod in principio erat Deus apud Deum, iam etiam caro factum eſt, ut habitaret in nobis; & ad nos venerat, & apud Patrem manebat; ſurſum Angelos non deſerens, & deorſum ad ſe homines per Angelos colligens, & cœleſtibus habitatoribus ſecundum Verbum incommutabili veritate fulgebat, & per anguſtum diverſorium in præſepi iacebat. Aug. ſerm. 32. de tempor.

579 Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit

utra-

Digitized by Google

utraque unum, & duos condidit in ſe in unum novum hominem faciẽs pacem, & commutavit utroſque in uno corpore Deo, interficiens inimicitias in ſemetipſo. ibid.

580 Flecte genua, geme, Dominum tuum ora tibi fieri propitium. Plus nocturnis placatur orationibus, cùm quietis tempus tu luctuum tempus facit. Regis memento qualia verba dicebat: Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Chryſoſt. hom. 42. ad popul. col. 5.

581 Quantumcumque ſis delicatus, non es illo delicatior; quantumcumque ſis dives, non es ditior Davide, qui rurſum dicebat: Media nocte ſurgebam ad cõfitendum tibi, ſuper iudicia iuſtificationis tuæ. Tunc inanis gloria non interrumpit: qualiter enim omnibus dormientibus, & non cernentibus? Cùm præſertim oratio nocturna utilior ſit quàm diurna. ibid.

582 Oratio Sanctorum dilatione beneficij, & tribulationum adverſitate quaſi repellitur, ut tamquam

ignis

ignis flatu repercuſſus inflammetur ardentiùs. Auguſt. in pſalm.87. circa fin.

583 Humiliatus es Ieſu, & humiliaſti; vulneratus es, & vulneraſti: neque enim ſuperbum non vulneraret ſanguis tuus, qui effuſus eſt, ut deleret chirographum peccatorum; unde enim ſuperbiebat, niſi quia cautionem contra nos tenebat? Hanc tu cautionem, hoc chirographum tuo ſanguine deleviſti: illum ergo vulneraſti, cui cor abſtuliſti; vulneratum enim intelligas diabolum, non penetrata carne, quam non habet, ſed percuſſo corde ubi ſuperbus eſt. Auguſt. in pſal.88.col.9.

584 Benedictus Deus, qui paſcis me à iuventute mea; qui das eſcam omni carni; imple gaudio, & lætitia corda noſtra, ut omnem ſufficientiã habentes abundemus in omne opus bonum in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cum quo tibi gloria honor, & imperium cum ſancto Spiritu, in ſecula. Amen. (Non dicunt, ut ſolùm quod debemus, faciamus verum, & plura mandatis.) Oratio devota quorumdam monachorum in quorum lau-

laudes homiliam habuit Chryſoſtomus. Ex Chryſoſt.hom.57. ad popul. col. 5.

585 Prædixit Dominus ante multùm temporis diluvium univerſalis, & omnibus pernicioſæ pluviæ: Ieſus quoq; ignem prænunciavit, & quotidie in Evangelio prænunciat eſſe vẽturum; ſed nemo qui attendat: omnes fabulam rem eſſe putant; omnes riſum, timor habet neminem, nemo luget, nemo pectus tundit. Idem homil.55. col.4. & ſequent. & latiùs in epiſt.ad Timoth. hom. 15. in moral.

586 Gaudete ſemper, Apoſtolus inquit, ſed addidit continuæ voluptatis cauſam, cùm dixerit, Gaudete in Domino ſemper: in Domino gau-
„ dens ex accidente nullo voluptate
„ hac excidere poteſt. Chryſoſt.hom. 28. ad popul.col.4.

587 Per ſingulas ætates quotidie deſevire conſpicimus mortem; & in omnibus ubique rebus ipſis inconſtantia, inſtabilitaſque ſignatur; nũquam hiems perſtat, numquam æſtas figitur, fugit verna temperies, autumuſque dilabitur, currunt, labuntur, ac defluunt. idem homil. 15. in

epiſt.ad Timoth.in moral.

588 In cœlum animos transferamus, ubi non vanitas,ſed veritas eſt: ubi omnia ſirma,fixa, ſtabilia: ubi ſupra petram omnis ſtructura conſurgit, ubi ſenectus non eſt neque tranſitus, ubi omnia florent, omnia vigent,ubi nihil vetuſtate ſenioque cōficitur. Diligamus Deum quæſo toto affectu cordis, non gehennæ metu, ſed deſiderio regni. ibid.

589 Gaudium noſtrum in hac valle lacrymarum, lacrymarum pane condiri ſemper debet,ut ſemper non ſolùm extrema, ſed & prima gaudij luctus occupet: quia etſi magna eſt gaudiorum materia, ſed maxima eſt dolorum. Bernard.ſerm.in Vigil. SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli.

590 Sancti,dum hìc viverent,miſerti ſunt peccatoribus,& oraverunt pro eis: nunc in cœlo tantò ampliùs, quantò veriùs agnoſcunt miſerias noſtras,orant pro nobis Patrem:quia illa beata patria charitatem eorum non immutavit, ſed augmentavit. Civitas cœleſtis charitatem auget Sanctorum, non mutat. ibid.

591 Impaſſibiles omninò,ſed non ideo

ideo incompaſſibiles facti ſunt; ſed potiùs ex tunc induerunt ſibi viſcera miſericordiæ, cùm ante fontem miſericordiæ exiſtunt. ibid.

592 Homo ingredere in conſcientiam tuam, & cogita, ut tu ipſe hactenus vixeris, mutabiſque, opinor, ſententiam, & cancellato ſuffragio tuo, Deum ob longanimitatem ſuam miſericordem prædicabis. Chryſoſt. homil. de fato. tom. 4. 5.

593 Nam ſi à quovis, iuxta peccata ſua, hìc eſſet ſumenda pœna, non duraſſet uſque ad ſecula noſtra genus humanum. Quis enim gloriabitur purum ſe habere cor? aut quis confidat ſe mundum à peccato? ibid.

594 Quod ſi de longanimitate Dei doles, cogita diligenter, quæ etiam tu peccaveris, diſceſque quanta ſuæ patientiæ gratia, procul dubio ſuam in tolerandis malis manſuetudinem admiraberis. [*Sed mendaces filij hominum in ſtateris: non æquè propria atque aliena peccata dimetiuntur.*] ibid.

595 Hæc ſpiritualis eſt exercitij ſumma, hæc forma ſtudij ſpiritualis, ut ſapienter diſponamus præſentia

noſtra, recogitemus in amaritudine animæ noſtræ præterita, futura quoque ſolicitè provideamus. Bern. ſer. 2. de SS. Apoſtol. Petr. & Paul.

596 Siquis non tollit crucem ſuã, & ſequitur me, non eſt me dignus. Hoc autem dicebat, non ut lignum ſuper humeros feramus, ſed ut mortem ſemper ante oculos habeamus. Sicut igitur & Paulus, quotidie morere, & mortem deride, præſentemque contemne vitam. Chryſoſt. hom. 0. ad popul. Antiochen.

597 Vis diſcere quare bonum ſit præſens vita? quia futuræ nobis vitæ materia efficitur, & occaſio eſt certaminis, & ſtudium habendarum illic coronarum eſt: quòd niſi hoc nobis præberet, innumeris mortibus eſſet miſerabilior. Idem ibid. homil. 6.

598 Niſi enim viventes Deo ſumus placituri, meliùs obire. Quid enim eſt amplius? quid reliquum. Non eundem ſolem, & eandem lunam quotidie cernimus? non eandem hyemem? & non eandem æſtatem? non eadem negotia? Quid eſt, quod factum eſt? futurum. ibidem.

599 Os meum anunciavit iuſtitiã
tuam.

tuam, tota die ſalutem tuam. Quid eſt ſalutem tuam? Domini eſt ſalus, nemo ſibi uſurpet, quia ſe ſalvum facit: Domini eſt ſalus, non ſe ſalvum per ſe quiſquam facit: Domini eſt ſalus; vana ſalus hominis. Aug. conc. in pſal. 70. p. 1. col. 11.

600 Aliquid adverſi eſt, prædica ſalutem Domini. Ne prædices in proſperis, obmuteſcas in adverſis, alioquin non erit, quod dictum eſt, Tota die. Tota enim dies cum ſua nocte eſt. ibid.

601 Quod facit homo malè, ipſius eſt hominis: quod facit homo bene, non ſibi tribuat: cùm non ſibi tribuerit, gratias agat ei, à quo acceperit. Cùm autem bene facit, non inſultet illi, qui illud non facit, aut extollat ſe ſuper eum. Non enim in illo finita eſt gratia Dei, ut ad alium non perveniat. Aug. in pſal. 93. col. 11.

602 Quantum ſuperbum eſt cor hominis, tantum recedit à Deo, in profundum it: nam contra cor humile de cœlo adducit Deum, ut proximus fiat. Certè altus eſt Deus, ſuper omnes cœlos eſt Deus, tranſcendit omnes Angelos: quantum habes

erigi, ut attingas ad illum excelſum? ibid. col. 12.

603 Nolo te rumpas, extendendo te. Aliud conſilium tibi do, ne in iſta extenſione fortè crepes per ſuperbiam. Certè altus eſt Deus, tu humilia te, & deſcendet ad te. ibid.

604 Si quis deſiderat videre Chriſtum, ſi quis dolet, quòd illum non viderit, Angelorum audito ſermone, Sic veniet, vitam admirandis virtutibus componat, & omninò viſurus eſt, quem deſiderat, nec fruſtrabitur ſuo voto. Chryſt in Act. Apoſt. hom. 2. col. 8.

605 Periclitatur, qui ſanè cœleſti pane ad optatam manſionem pervenire feſtinat: unde & Angelus loquitur ad Eliam: ſurge, & manduca: quia grandem viam ambulaturus es. Hieronym. in Matth. cap. 15. [Intellectum dat nobis panis iſte cœleſtis in via hac, qua gradimur ad patriam, ad mãſiones, quas paraturum electis ſuis Dominus ſe dixit. Illuminat in nocte, firmat in lubrico, paſcit in fame, in ſiti dat potum, in ancipitibus conſulit; timidis denique vallum, agger, munimentum.

Quæ-

606 Quærite Dominum, & vivite eum, qui dixit: Ego ſum via, veritas, & vita: ut poſtquam ambulaverint in eo, & invenerint veritatem, tunc incipiant vivere, qui priùs mortui erant. Hieron. in Amos cap. 2. [Qui credit in Ieſum; etiam ſi mortuus fuerit, vivet; ſalutem ſecum trahit ſalus populi; viam quoq; ad ſe præbet ſeipſum; vita, ſalus, via, veritas, fructus, præmium: ſequamur ergo Ieſum, nõ enim deficiunt, qui ſequuntur, ſed robur accipiunt eò maius, quò ferventius.

607 Si miſericordiæ Domini ab æterno, & uſque in æternum, ego quoq; miſericordias Domini in æternum cantabo. Numquid iuſtitias meas? Domine memorabor iuſtitiæ tuę ſolius. Ipſa eſt enim & mea. Nempe factus es mihi tu iuſtitia à Deo. Bernard. ſerm. 61. in Cantic.

608 Numquid mihi verendum ne non una ambobus ſufficiat. Non eſt pallium breve, quod ſecundum Prophetam, non poſſit operire duos. Iuſtitia tua, iuſtitia in ęternum. Quid longius æternitate? & te pariter, & me operiet larga, & æterna iuſtitia. ibid.

609 Ieſus *Dominus* ſublimis in regno, ſed ſuavis in cruce. In hac me viſione præveniat, in illa adimpleat. Adimplebis me, ait, lætitia cum vultu tuo. Vtraque viſio ſalutaris, utraque ſuavis, ſed illa in ſublimitate, iſta in humilitate; illa in ſplendore, hæc in pallore eſt. ibid.

610 *Deni*que, inquit, & poſteriora dorſi eius in pallore auri. Quomodò non in morte palleſcat? ſed melius pallens aurum, quam fulgens aurichalchum, & quod ſtultum eſt *Dei* ſapientius eſt hominibus. Aurum verbum, aurum ſapientia eſt. ibid.

611 Repleatur itaque in medio tot munerũ os meum laude, vt hymno dicam gloriam tuam, tota die magnificentiam tuam; in proſperis, quia conſolaris; in adverſis, quia corrigis; antequam eſſem, quia feciſti: cùm eſſem, quia ſalutem dediſti: cùm peccaſſem, quia ignoviſti: cùm converſus eſſem, quia adiuvaſti: cùm perſeveraſſem, quia coronaſti. Auguſtin. pſal. 70. col. 6. par. 1.

612 Eſto mihi domine Ieſu in protectorem, & in locum munitum, ut ſalvum me facias. Nam ſi mihi alium

locum

locum elegero, ſalvus eſſe nõ potero. Elige certè homo, ſi inveneris munitiorem. Ibid. col. 4.

613 Non eſt ergo, quò fugiatur ab illo, niſi ad illum: ſi vis evadere iratum, fuge ad placatum. ibid.

614 Tentationes multæ ſunt, & turbant me; refugium meum es tu dulcis Ieſu: ad hoc confitebor infirmitatem meam, ut ſim timidus tamquam lepus, quia ſpinis plenus tamquam ericius. Et ſicut in pſalmo dicitur; Petra eſt refugium erinacijs, & leporibus. Petra autem erat Chriſtus. Ibidem.

615 Mors eſt optima, ut in cupiditatum cohibitione à terrenis, in ſpe cœleſtis hæreditatis homo uſque in finem perſeverans, & diem vitæ huius ultimum claudat. Aug. pſal. 67. col. 16.

616 Sic enim dormientes inter medios cleros erunt pennæ columbæ deargentatæ, ut tempore, quo reſurgent, rapiantur in nubibus obviam Chriſto in aera, & ſemper iam cum Domino vivant. ibid.

617 Qui cœlum palmo metitur, non habuit, ubi caput reclinaret. Ie-

ſus Chriſtus, cùm eſſet dives, pauper eſt factus, ut nos ditaremur in illo. Qui in nubibus venturus eſt ad iudicandum vivos, & mortuos, iudicium hominis pertulit: &, cùm ſitientibus ſit fons æternalis, cùm ſitiſſet, poſtulavit aquam à Samaritana muliere. (Hæc aliaque ſupplicia paſſus, ut nobis vitam æternam donaret.) Baſil. admonit. ad filium ſpiritual. col. 2.

618 [Humiliavit ſemetipsũ Verbum Dei, ut nos doceret humilitatem. Inſufficiens viſum eſt illi docere eam, niſi & exerceret: utilis ars, ſed difficilis.] Vir humilis Deo ſimilis, & in templo pectoris ſui geſtat eum. Superbus autem cùm ſit Deo odibilis, diabolo ſimilis eſt. ibid. col. 5.

619 Nullum habet acceſſum cordis compunctio, ubi fuerit immoderatus riſus, ac iocus. Vbi verò fuerint lacrymæ, ibi ſpiritualis ignis accenditur, qui ſecreta mentis illuminat, & vitia cuncta exurit. ibid. col. penul.

620 Tunc aviditate cœleſti anima flagrans, Chriſti amori copulatur, cùm in terris degens de cœleſtibus, & ſupernis iugiter meditatur, cal-

calcat ſeculi voluptates, & ad premia ſe futura extendit. Ibid.

621 Nec ulla ſeculi cura ab amore eam ſegregat Chriſti; ſed ut figura quædam inter homines verſari videtur, & tota eius converſatio de cœleſtibus intelligitur. Mors illi præſens tamquam vita ipſa eſt dulcis. Cupit diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, quem in carne vivens intra ſuum portaverit templum. Ibidem.

622 Quid eſt anima noſtra, quamvis ſplendida, quamvis producta, quamvis acuta, quamvis uncta, quãvis luce ſapientiæ, & coruſcationis vibrata? Quid eſt ipſa anima noſtra, aut quid poteſt, niſi Deus illam teneat, & pugnet de illa? Nam quælibet optimè facta framea, ſi non habeat bellatorem, iacet. Aug. in pſal. 34. col. 2.

623 In domo, inquit, Patris mei manſiones multæ ſunt. Dat ergo unicuique locum dominus Ieſus, hoc eſt, aptam pro uniuſcuiuſque meritis manſionem. Vnuſquiſque enim in ſuo ordine. Præceſſit ergo, ut pararet in ſe credentibus locum. Ambroſ. in pſal. 38. verſ. Et numerum, &c.

624 Aſcende ergo homo in cœlũ, & videbis illa, quorũ umbra hic erat, vel imago. Videbis non ex parte, non in ęnigmate, ſed in conſummatione: non in velamine, ſed in luce.

625 Videbis verum illum & ęternum, atque perpetuum ſacerdotem, cuius hic imagines videbas, Petrum, Paulum, Ioannem, Iacobum, Matthæum, Thomam. Videbis perfectum hominem, iam non in imagine, ſed in veritate. Qualis enim cœleſtis, tales & cœleſtes. Vtique ipſi iam in gloria, vel decore, iam in reſurrectionis gratia, non in corpore mortis, & corruptionis deformitate. Ibidem verſ. Verumtamen, & ſequent. duob.

626 Æquitas dilexit te; hoc eſt, non flexuoſa itinera te ſequuntur, ſed ſolus ad te Ieſu bone poteſt iuſtitiæ trames pervenire. Qui enim diligit iuſtitiam, non ſe avertit à Chriſto. Quomodò enim arbitrum iuſtitię remuneratoremque meritorum innocens metuat conſcientia. Idem pſal. 118. octon. 2. verſ. In quo corrigit, &c. (Aut quomodò perveniet ad te, qui ad dexteram flectitur vel ſiniſtrã,

cùm

cùm verum iter, quod tu es, Chriſte fili Dei altiſſimi, amiſerit. Cor habebant velut ſpongiam Iudæi, qui te potaverunt in ſiti tua aceto, cavernoſis, atque tortuoſis latibulis fraudulentum: amara tibi potio, qui ſalutem animarũ deſideras; pro cruci te affigentibus ſupplicas, Patri ſpiritum emiſſurus. Accipe dulcis Ieſu cor meum in manus tuas tornatiles aureas, plenaſq; hyacinthis, ut quicquid fuerit tortum dirigas, ut dicam: Cõfitebor tibi in directione cordis.] Author.

627 Niſi ſcias te decora inter mulieres; hoc eſt, niſi cognoſcas te mortalem, rationalẽ, & citò tua peccata fatearis citò dicas iniquitates tuas, ut iuſtificeris; niſi convertaris, & prior accuſes delicta tua, veniet dies mortis, & iam nullum converſionis remedium eſt; præveniris, dum non cogitas. Accende facem tuam, priuſquã ſponſi tibi claudatur ianua, qui expectare dici non ſolet negligentes. ibid. [Et ego miſer diutiùs expectatus, ſuſtinente Domino Ieſu adhuc moram meam, perſevero in obſcuris, anxiatur in me ſpiritus meus, cor turbatur;

tur; ſedeo in tenebris, in lubrico ambulo; Angelo ſatanæ perſequente in deriſu tot ſcribentem, parum, vel nihil operantem: adveni Domine Ieſu, lux æterna, lumen de lumine, illumina tenebras meas: dic animæ meæ ſalus tua ego ſum: non enim prodeſt ſine calore lumen, ſine amore notitia.] Auctor.

628 Et ſi grana latent in paleæ, agricolæ nota ſunt. Nemo timeat eſſe granum etiam inter paleam, non falluntur oculi ventilatoris noſtri. Noli timere, nè illa tempeſtas, quæ erit in circuitu eius, conterat te cum palea. Certè valida erit tempeſtas, nullum tamen granum tollet à parte tritici ad paleam, quia non quilibet ruſticus cum tridente, ſed Deus trinitas iudex eſt. Auguſt. in Pſal. 49. col. 13.

629 Animi eſt ducere corpus. Si autem dimiſerit illud, ut eat quo vult præcipitabit ipſum, ſicut equus furioſus negligentem ſeſſorem. Idem quæſt. ex utroque mixtim. 115. col. 8. tom. 4.

630 Sapientia Dei, hominem ad exemplum, quo rectè viveremus, ſuſce-

ſce-

ſcepit. Pertinet autem ad vitam rectam, ea, quæ non ſunt metuenda, nõ metuere. Mors autem metuenda nõ eſt: oportuit ergo idipſum illius hominis, quem Dei ſapientia ſuſcepit, morte monſtrari. Idẽ quæſt. 25. octoginta trium tom. eod.

631 Sunt autẽ homines, qui quãvis mortem ipſam non timeant, genus tamẽ aliquod ipſius mortis horreſcunt. Nihilominus autem, ut ipſa mors metuenda non eſt, ita etiam nullum genus mortis bene, & rectè viventi homini metuendum eſt. ibid. (Crux Chriſti docuit hominem, nec mortẽ timere, neque mortis genus.)

632 Nihilominus igitur hoc quoque illius hominis cruce oſtendendũ fuit. Nihil enim erat inter omnia genera mortis illo genere execrabilius, & formidoloſius. ibid.

633 Miſericordiam vis aſſequi, igitur miſerere: veniam cupis impetrare, igitur communica; vis non malè audire, igitur neque dic: deſideras laudari, igitur lauda: vis non fraudem pati, igitur nè defraudes. Chryſ. hom. 17. in 2. ad Cor. in Moral.

634 Grave hoc eſt, quòd non in para-

paradiſo, ſed inter innumeras præſentis vitæ calamitates in peccata incidis, quemadmodum ſi quis ligatus perſtet in malitia, neque ipſa miſeria fiat continentior. Non enim idem eſt, ut qui multo fruatur otio, & qui in multis malis cōſtitutus ſit peccet. Idem in epiſt. 1. ad Cor. hom. 9. [Sed hoc multo inexcuſabilius, quia medicina abutimur.] Author.

635 Si quis malè vivit cum fide recta, auxilium ei fides non præſtabit, ut non puniatur opere perditio. Non feret miſer impetum ignis, ſed quemadmodum onuſtus fœno traijciens fluvium igneum, ſeipſum perdet: bene operantes verò ſplendidiùs egredientur tanquam armis amicti aureis. ibid. col. 9.

636 Cum videris mulierem formoſam, nè huc intenderis animum quomodò potiaris cupiditate, ſed quomodo libereris à concupiſcentia. Idē in 1. ad Corinth. hom. 7. in moral. [Idem in cæteris, quæ iniuſtè appetuntur: coerce deſiderium, conſtringe in chamo, & fræno petulantiam: dictu facile, ſed factu difficile, magnā tamen habet remunerationem.]

Gra-

637 Gratias agamus Deo, quæ nō verbis, non lingua dumtaxat, ſed re ipſa, operibus ipſis, mente, & corde fiant. Ex omni anima gratias agamus Deo. Idem in epiſt. ad Epheſ. homil. 19. col. 6.

638 Plùs enim nos, quàm liberi ſoleant à parentibus, amat: & quantum diſcriminis eſt inter malitiam, & bonitatem, tantum dilectio Dei dilectionem parentum noſtrorum excellit. ibid.

639 Quid agemus (quod & omnium eſt terribiliſſimum) cùm Deum offenderimus? Si quis enim ſenſum habet, & mentem, iam & gehennam ſuſtinuit, poſtquam ex Dei conſpectu receſſit: ſed poſtquam hoc non dolet, propterea ignis intentatus eſt. Oportebat enim non quando punimur dolere, ſed quando peccamus. (Inſenſati peccamus; datur itaque pœna ſenſibilis, qui ſolis ſenſibus innituntur.) Chryſoſt. hom. 48. ad popul. col. 1.

640 Obſecro Domine Ieſu, ut cūctas meæ civitatis portas iuſtitiæ facias, ut ingreſſus in eas confitear nomini tuo, tuæque maieſtati, cum iu-

ſtis

ſtis per eam intrantibus, ut mors ibi aditus ingreſſum non habeat, paſſio nõ dominetur, ſed occupet ſalus muros eius, & portas illius laudatio. Greg. Pap. in 5. Pſal. pœnit. verſ. Percuſſus, &c. (Senſus noſtri portæ mortis ſunt: has portas cuſtodiri poſtulat, ut fiant portæ iuſtitiæ, &c.)

641 Quęcumque humana ſolatia, vel adverſitates fuerint, nulla ſunt niſi aut Dei gratia protegat; aut eius offenſa perturbet. In nullo igitur homine ſpem ponamus, ſed totam mẽtem adſtringamus in fiducia Dei Patris omnipotentis, qui cum Filio, & ſancto Spiritu unus Deus vivit, & regnat per ſecula. idem lib. 9. epiſt. 75.

642 Nihil ita mortificat (hominis ſenſus) ut cognitio veritatis. Vnde dicitur: Accingite lumbos veſtros in veritate. Si enim veritas eſt Chriſtus: qui tota in Chriſto mente credidit, lumbos ſuos mortificavit in Chriſto. [Iuſtitiæ verò vivit anima, quæ culpæ moritur, beata mors, quæ vitam inducit: hæc autem à Chriſto procedit omninò.] Hieron. in Nahum. cap. 2. Author.

643 Plùs valet apud nos hominũ me-

metus, quàm gehennæ, & futurorũ ſuppliciorum: quapropter & omnia perverſa ſunt. Nam res quidem politicæ quotidiè magna diligentia perficiuntur, nec quicquam eorũ omittere licet, ſpiritualium verò nulla uſpiam ratio. Chryſoſt. hom. 9. ad Philippenſ. in Moral.

644 Pro gehenna ipſa Deo gratias agere oportet, pròque pœnis, atque ſupplicijs illic futuris. Plurimùm enim nobis res iſta profuerit, ſiquidẽ attenderimus, loco fræni cordibus noſtris gehennæ metus imponitur. Idem homil. 9. in epiſt. ad Epheſ. col. 5. Nota.

645 Deo gratias agamus non ſolùm pro manifeſtis beneficijs, ſed & pro occultis, etiam pro illis quibus inviti afficimur. Etenim multis nos beneficijs cumulat, etiam nec volentes, nec obſervantes. ibid.

646 Multi hominibus iuſti videntur, pauci Deo: aliter hominibus, aliter Deo. Hominibus ſecundum vitæ ſpeciem, Deo ſecundum puritatẽ animi, virtutis veritatem. Homines, quæ foris ſunt, probant; Deus, quæ intus ſunt, examinat. Ambroſ. lib. de

Noe,

Digitized by Google

Noe,&c. cap. 11.

647 Eum, qui neſcivit peccatum, & exiſtentem ipſammet iuſtitiā peccatum fecit: hoc eſt quaſi peccatorē condemnari permiſit, & quaſi maledictum mori. Maledictus enim, qui pendet in ligno. Chryſoſt. homil. 12. in 2. ad Corinth. in Moral. [O vim inexcogitabilem divinæ dilectionis? ò inexplicabilem amorem? non ſatiatur morte, nec expletur niſi morte crucis; cum iniquis innocentia deputatur. Niſi doceret fides, quis crederet?] Author.

648 Sic mori multò maius eſt, quam mori, id quod, & alibi inſinuās dicit: Obediens factus uſque ad mortem, mortem autem crucis. ibid.

649 Qui relictis cœleſtibus eligit terrena, voluntarium quoddam præcipitium vitæ labentis incurrit. Ambroſ. lib. 4. in Luc.

650 Vidit Ieſus Dominus humanum genus humi iacens, peccatorū vinculis ligatum, mortis obnoxium tyrannidi, & miſertus eſt eius, ſicut fidelis pontifex, hoc eſt, verus, & potens. Idem in epiſt. ad Hebræos cap. 3. [Non eſt altera totius admirandæ di-

diſpenſationis cauſa, quàm hæc ſola, ut ſcilicet noſtris propitiaret maieſtas divina peccatis: & tamen adhuc poſt tam magnum beneficium dormitamus; magnitudinem eius vel non intelligimus, vel intellectam contemnimus.]

651 Cogitemus, & ingemiſcamus amarè, eo quòd benefactorem exacerbavimus: neque umquam proptereà confidamus, quia ille longanimiter fert contumelia affectus, ſed propter iſtud ipsũ nos affligamus. Chryſoſt. homil. 12. in 2. epiſt. ad Corinth. in Moral. [Cupiamus puniri, quòd exacerbavimus Deum, ne maiorem omnibus pœnam ſuſtineamus, non puniri. Si diligimus Dominum, peccantes nos puniamus, nè ingratitudinis culpa ſimul, & pœna acerbiſſima in caput noſtrum miſerrimè theſaurizetur.]

652 Laudatur de cœlis Dominus Ieſus, & videtur in terris. Cum beſtijs erat in præſepi, & Angeli miniſtrabant ei: ut in altero miſericordiæ inſigne, in altero divinæånditiũ poteſtatis agnoſcas. Tuum eſt, quòd beſtias patitur, ſuum quòd ab Angelis

præ-

prædicatur. Ambroſ. in Lucæ cap.2. [Memorare itaque Domini Ieſu potentiam ſimul, & miſericordiam, ne dividas à poteſtate pietatem: homo peccat, Deus miſeretur.] Auct.

653 Quomodò poteſt vincere in bono malum, in ſuperficie bonus, & in abdito malus, qui opere parcit, & corde ſævit, manu mitis, voluntate crudelis? Auguſt. in Pſal.78. col.12. [Væ duplicibus corde: qui loquuntur pacem cum proximo ſuo; mala autem in cordibus ſuis: ò ambitio, quæ multos mortalium falſos fieri ſubegit, aliud clauſum in corde, aliud in ore promptum habere.]

654 Nemo glorietur in operibus ſuis: ſed qui gloriatur in Domino glorietur: gratia tua ſatiatur, cùm ſatiatur, non dicat meritis ſuis datam gratiam fuiſſe. Si gratia dicitur, gratìs datur: ſi operibus redditur, merces redditur. Gratìs ergo accipe, quia impius iuſtificaris. idem in Pſal. 103. conc.3. col.9.

655 Alius ad te venit, ut petat, alium tu præveni, ne petat. Sicut enim de illo, qui te quærit, dictum eſt: Omni petenti te da: ſic de illo, quem iu-

beris

beris quærere, dictum eſt; Sudet eleemoſyna in manu tua, donec invenias iuſtum, cui eam tradas. idem ibid. col. 12.

656 Sanabuntur omnes languores tui, noli timere. Magni ſunt, inquies, ſed maior eſt medicus. Omnipotenti medico nullus languor inſanabilis occurrit; tantùm curari te ſine, manus eius ne repellas: novit, quod agat. idem Pſ. 102. colum. 5.

657 Non tantùm delecteris, cùm fovet, ſed etiam toleres, cùm ſecat. Tolera medicinalem dolorem futuram cogitans ſanitatẽ. ibid. [Felix,
„ qui nullum manus divinæ opus re-
„ fugit, dum ſua curatur infirmitas, remedium omne recipit, quamvis iniucundum ſit, quamvis amarum: totus in manu medici ponitur, aliud velle neſcit: ſed paucorum hæc felicitas eſt, ſicut pauci futura proſpiciunt, ac cupiunt, quæ non vident: multitudo præſentia ſectatur, viſibilia ambit.] Auctor.

658 Vnus militum lancea latus eius aperuit. Quid iniquius unquam excogitari poteſt, qui eò impietatis devenerunt, ut mortuum iam corpus vexa-

vexarent? tu verò conſidera, quomodò Dominus Ieſus ad noſtram ſalutem protervitate illorum utitur. Hoc enim vulnere facto, ſalutis noſtræ fõtes è coſta ſua emanarunt. Chryſoſt. hom. 89. in Ioan. 2. [*Sæpe expugnaverunt me à iuventute mea, etenim non potuerunt mihi*: iugis conflictus, acies dura, crudele prælium: pugnat ingratitudo hominis offendendo: & Dei miſericordia ignoſcens non modò, ſed benefaciens: prævalet hæc, ſi tu deſinis peccare, priuſquam adveniat nox illa terribilis, in qua nemo
„ poterit operari: ubi dives erat, &
„ ſtillam aquæ de digito pauperis re-
„ quirebat, dolebat, angebatur, fate-
„ batur, nec ei ſubveniebatur: cona-
„ tus etiam benefacere, dum ait; Pa-
„ ter Abraham mitte Lazarũ ad fra-
„ tres meos, ut ſciant quid hìc aga-
tur: opus charitatis exercet erga proximos ſuos, ſed in nocte, tranſacto tempore operis: ingratus, ò dives, extitiſti, die non miſertus, nec commodans: fruſtra nocte cõpateris fratribus, non intelligens ſuper egenũ, & pauperem, quid laboras in tene-
„ bris? in caſſum clamas: audiris, ut

„ dum

„ dum auditus non exaudiris, exclu-
„ deris, repelleris, torquearis magis:
haud tibi miſer nocti dies ſuccedet,
ſed eris ſemper in tenebris dolés inu-
tiliter, & clamans. Author.

659 Heli, clamans ſpiritum Patri Ieſus Dominus cõmendavit in cru-
„ ce: ut uſque ad extremum ſpiritũ
„ honorari ab eo Patrem, & non eſſe
„ illi adverſarium diſcerent. Chry-
ſoſt. ibid. [O ſalutare documentũ, ò bone Ieſu, fons ſalutis, ſalus ipſa totus ſalutaris, expellis morbos omnes, ſalutem introducis: dilata quæſo os meum, ut impleas illud: pateat cor meũ, ut intres Deus ſalutaris meus.] Author.

660 Quod uni ex minimis meis facis, mihi facis. Nihil nempe intereſt, ſive huic pauperi, ſive Ieſu Chriſto dederis. Nihil minùs habes mulieribus, quæ tunc Chriſtum alebant,
„ imò verò, ſed nemo his verbis tur-
„ betur, multò etiam maius. Non
„ enim eſt æquale ipſum Dominum
„ præſentem alere, cuius præſentia
„ vel lapideum ad ſe animum attra-
„ heret; & propter eius verba dum-
„ taxat pauperes, mendicos, ægro-

tos alere, atque curare.

661 Quippe tunc etiã ipſa facies, & dignitas præſentis, quæ, cùm videtur, parturit, quod facis: modò autẽ universa hæc liberalitatis, & miſericordiæ tuæ sũt: accedit, quòd maioris erga Chriſtum reverentiæ ſignũ eſt, quandoquidem ideò conſervum tuum in omnibus diligenter paſcis, atq; curas. ibid. [In hoc denique motivum inviſibile efficacius, ideoque Deo gratius; ibi viſibile maius; hic plùs fides operatur, ibi minùs: quia Ieſus videtur, cuius vis ad alliciendos hominum animos inexplicabilis eſt, tamquam divina. Cautè lege: ſemper enim gratia divina quicquid bonũ eſt, operatur in homine, illo cooperante.] Author.

662 Chriſtus quidem non habet, ubi caput ſuum reclinet, ſed circumit peregrinus, & nudus, & eſuriens: tu verò ſuburbana, thermas, & porticus, innumeroſq; paras thalamos in caſſum, & fruſtra: at Chriſto, nec exiguum cõmunicas tectum, corvis autem, & milvis faſtigia exornas. Chryſoſt. ibid. col. fin.

663 Hoc curemus dilecti, nempe

ut

ut dilectionem Dei cognoſcamus: magnum hoc eſt. Nihil quippe nobis ita proderit, nihil ita compunget. Plùs enim iſtud habet mométi ad attrahendum animas noſtras, quàm metus gehennæ. Chryſoſt.hom.7.in epiſt.ad Epheſ. in Moral. [Ideo Ioannes in Evangelio ſuo inquit: Cùm dilexiſſet Ieſus ſuos, in finem dilexit eos. Et in Epiſt. Non quòd nos priùs dilexerimus eum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos. Quoniam autem altiori dilectionis modo, quàm mundus, diligit nos Deus, corripit enim dilectos, & caſtigat, quos ille allicit, ut perdat: incumbentes miſeri præſentibus, quæ videntur, mundum diligimus, & quæ ſunt in eo: in dilectione vero Dei tepeſcimus; futura, quæ promittit, nauſeamus, ſi præſentia quoque non tribuit: reſpuimus medicum, qui amara propinat ad ſalutem; ferro utitur, & cauterio, ut tollat putrida; malagmata poſtulamus, quæ illa non curent, ſed foveãt: mollia volumus, ubi morbus dura requirit.] Auctor.

664 Charitatem perſequamur, nõ enim Apoſtolus ſimpliciter dixit; Dili-

gamus, ſed ut diligẽdo perſequamur. Multa diligentia opus eſt: aliàs enim mox interit: nam præceps eſt, & ad ſeceſſum prona. Quippe tot ſunt in hac vita, quibus res iſta vaſtatur, ac perditur. Difficilè charitas acquiritur, facilè amittitur. Cuſtodiamus quæſitam ſedulò. Idem ibid. homil. 9. in Moral.

665 Hæc ſumma virtus eſt, omnia Deo accepta referre, nihil noſtrũ ducere, nihil ad humanam gloriam facere, ſed ad Dei placita: propterea, quòd is eſt, qui rationem exacturus eſt. Chryſoſt. hom. 5. in 2. ad Corinth. in Morali.

666 Nunc verò ordo inverſus eſt, eum, qui pro tribunali ſedet, & cauſas excutit, non admodũ metuimus: eos verò, qui nobiſcum ſtant, ſimulq; iudicantur, timemus. [Vnde igitur hic morbus, unde in noſtras animas ,, invaſit? ex eo, quòd non aſſiduè ,, verſamus animo, quæ illic ſunt, ſed ,, rebus pręſẽtibus affixi ſumus. Hinc venit, quòd in pravas actiones facilè prolabimur, & ſi quid boni facimus, ad oſtentationem facimus.] ibid.

667 Amor eſt delectatio cordis

ali-

Digitized by Google

alicuius ad aliquid; propter aliquod deſiderium in appetendo, & gaudiū in perfruendo, per deſiderium currens, requieſcens per gaudium. Hinc bonum eſt, & hinc malum eſt cor tuū humanum: quia nec aliunde bonus es, ſi bonus es, nec aliunde malus es; ſi malus es, niſi quòd benè, vel malè amas, quod bonum eſt. Ordinate ergo charitatem, & iam malum nullum eſt. Aug. lib. de ſubſtant. dilectionis, &c. cap. 2. tom. 4.

668 Per dilectionem copulavit ſibi Deus creaturam rationalem, ut ei ſemper inhærendo, ipſum, quo beatificanda erat, bonum, ex ipſo quodāmodo per affectum ſugeret, & de ipſo per deſiderium biberet, & in ipſo ſemper gaudiū poſſideret. ibid. cap. 3. Aſpectus Dei ſalus noſtra eſt; atque in eius vultu noſtrum eſt adiumentum. Ambroſ. Pſal. 45. verſ. Adiuvabit, &c.

669 Suge, ò apicula, ſuge, ſuge, & bibe dulcoris tui inenarrabilem ſuavitatem: immergere, & replere: quia ille deficere neſcit, ſi tu non incipias faſtidire. Adhære ergo, & inhære, ſume, fruere: ſi ſempiternus guſtus

fuerit, ſempiterna quoque beatitudo erit. ibid.

670 Feliciter homo non diligit, donec ad unum, & ſummum bonum per amoris deſiderium ſe convertit. Et quia ſummum, & unum bonum ſolus eſt Deus, ille feliciter amat, qui Deum amat; & tanto feliciùs, quanto ampliùs. ibid. col. pen.

671 Hæc igitur eſt cordis noſtri requies, cùm in amore Dei per deſiderium figitur; nec ultra quicquam appetit: ſed in eo, quod tenet, quadam felici ſecuritate delectatur. ibid.

672 Mactemus, non vitulos novellos, nec agnos cornua producentes, & ungulas, quæ magna ex parte mortua ſunt, ac ſenſu carent: verùm Deo in ſuperno altari cũ cœleſtibus choris ſacrificiũ laudis immolemus. Penetremus primum velamen: ad ſecundum accedamus, in Sãcta ſanctorum proſpiciamus. Gregor. Theologus orat. 42. n. 51.

673 Atque, ut maius aliquid dicã, omnibus horis, animiq; agitationibus, noſmetipſos Deo immolemus, omnia pro Verbo excipiamus, per paſſiones paſſionem imitemur, per ſan-

ſanguinem, ſanguinem honoremus,
„ crucem alacres cōſcendamus. Dul-
„ ces ſunt clavi, tametſi valde acer-
„ bi. Præſtat cũ Chriſto, & pro Chri-
„ ſto pati, quàm cum alijs in delicijs
„ verſari. ibid. (Vtinam iſte affectus
nobiſcum ſit.)

674 Fruſtra appellamur Chriſtiani, ſi imitatores non ſumus Chriſti: qui ideo ſe viam dixit eſſe; ut cōverſatio Magiſtri, forma eſſet diſcipuli; & illam humilitatem eligeret ſervus, quã ſectatus eſt Dominus. Leo Magnus ſerm. 5. in nativit. Domini, in fine.

675 Qui præter viam currit, inaniter currit, imo ad laborem currit. Tanto plùs errat, quanto præter viã currit. Quæ eſt via, per quam currimus? Chriſtus dixit, Ego ſum via. Quæ patria, quò currimus? Chriſtus dixit, Ego ſum veritas. Per illum curris, ad illum curris, in ipſo requieſcis. Aug. tract. 10. in epiſt. 1. Ioann. [Si non in illo curris, & ad illum, in incertum curris; pugnabis, aërem verberans: quies poſt curſum non erit tibi, ſed laſſitudo, ut dicas: Laſſatus ſum in via iniquitatis, vel ſal-

tem, in labore hominum, in itineribus ſeculi huius.) Author.

676 Quid tibi iubet Deus? Dilige me. Aurum diligis, quæſiturus es aurum, & fortè non inventurus. Quiſquis me quærit, cum illo ſum. Amaturus es honorem, & forte non perventurus. Quis me amavit, & nõ ad me pervenit? Dicit tibi Deus, Patronum vis facere, aut amicum potentem: ambis per alium inferiorẽ. Me ama, dicit tibi Deus, non ad me ambitur per aliquẽ: ipſe amor præſentem me tibi facit. Auguſt. ibidem. (Motiva profectò compendioſa, ſi tamen meditemur ea cum corde noſtro, exercentes ſedulò, & ſcopentes ſpiritum noſtrum.)

677 Si conſenſeris inimico, (de quo dicitur; Inimicus ſuperſeminavit zizania) tunc ad te perveniet oppugnantis iaculum inimici. Tu potiùs in illum iaculare tela, quibus feriatur, quibus vincatur. Quę ſunt iſta tela? Verba Dei, fides tua, ſpes ipſa, tua bona opera. Opera bona tua gladij tui ſunt interficientes inimicum. Auguſtinus in Pſal. 60. [Charitas via fidelis operantis bonũ, ſicut ipſum

ipſum munit, fortemque reddit, ita debilitat adverſarium, ut plagæ illius fiant ſagittæ parvulorum.)

678 Quem Deus oderit, & averſabitur, quis amplectetur? Nemo niſi diabolus, vel dæmones? Quem autē dæmones nacti ſunt, quam ille ſalutis ſpem habebit? Quod vitæ ſolatiū? Chryſoſt. hom.6. in Epiſt.ad Philippenſ.in Moral.

679 Donec in manu Dei fuerimus, nemo nos rapere poterit: potens eſt enim, ac robuſta: ſi verò ex manu, & adiutorio ipſius exciderimus, peribimus; omnibus parati, & expoſiti ad rapinam, tanquam murus inclinatus, & ſepes impulſa. ibid.

680 Induite totam armaturā Dei, ut poſſitis vos reſiſtere adverſus inſidias diaboli. Non dixit adverſus pugnas, neque adverſus bella: neque enim ſimpliciter nos, neque apertè impugnat hoſtis, ſed inſidijs. Idem hom.22.ad Epheſ.col.6.

681 Anima diſcipuli Chriſti, eiuſque, quantùm prævalet imitationem profitētis, neceſſe eſt, ut inter adverſa ſe ſtrictiùs accingat: ut deſiderium ad amorem Dei, atque ſtudium bonę

operationis, ipſa plùs adverſitas augeat. Sic ſemina meſſium gelu cooperta fertiliùs germinant; ſic ignis flatu premitur, ut creſcat. Gregor. Magn. lib. 6. epiſt. 27.

682 Si virtutum mater charitas in corde noſtro permanet, bonorum operum ramos nũquam amittimus: quia ipſam bonitatis radicem tenemus. Idem ibidem epiſtola 28.
„ (Fertilis ager amor, fœcunda ma-
„ ter, quæ abortum non patitur, ar-
„ bor bona fructus bonos præcoces
„ emittit, & ſerotinos: radix ſancta,
„ humilitatis cooperta cinere, miſta
„ lacrimis; non timet gelu, ardorem
„ quoque haud metuit: oſtentationem refugit, & oculos hominum, nè, dum his placere cupit, diſpliceat Deo.) Auctor.

683 In verbo Dei inveniamus requiem poſt labores, quos in cauſis ſecularibus patimur, & quaſi quodam candido linteo eiuſdem laboris terreni ſudorẽ detergat. (In talibus, quos à iuventute mea patior, hoc ſolummodo inveni remedium, quòd ſcilicet fluant dies noſtri, imò præterfluant, & cum iſtis angores quoque.

Simi-

Similiter mandata Domini meditor frequenter.]

684 Chriſtus via eſt, veritas, & vita. Via converſationis ſanctæ, veritas doctrinæ divinæ, vita beatitudinis ſempiternæ. Leo ſerm. 2. de Reſurrection. Domini.

685 Beatus, qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, quemadmodùm dicit Ioannes in revelationibus ſuis. Veſtimentum tuum fides tua eſt; veſtimẽtum tuum operatio tua eſt; cuſtodi ergo ne diripiant alieni laborem tuum: ne denuderis, & appareat ignominia tua. Idem Greg. in pſ. pœnit. verſ. Similis &c. (Vtinam in omnibus actibus noſtris Ieſus Chriſtus appareat, & ipſe ſit indumentum noſtrum.)

686 Duo ſunt, quæ iuſtorum beatitudinem omnis miſeriæ finem ſperari faciunt, mors, & reſurrectio mortuorum. In morte requies eſt, de qua dicitur per Prophetam; Plebs „mea intra in cellaria tua, abſconde„re puſillum, donec tranſeat ira Do„mini. In reſurrectione autem in „homine toto ideſt in carne, & ſpi„ritu perfecta felicitas. Auguſt. epiſt. 87. col. pen.

Digitized by Google

687 Quid nõ miſericorditer præſtatur hominibus à domino Deo, à quo etiam tribulatio beneficium eſt? nam res proſpera donum eſt conſolantis; res autem adverſa donum eſt admoventis Dei. Idem epiſt. 87. col. 1. (Rarus verò ſapiens, qui intelligat miſericordias Domini.)

688 Eſt gaudium continua ſibi iucunditate firmiſſimum, quod perfectus animus de ſecura ſibi cõſcientia pollicetur. Bern: ſerm. de B. Maria Magdalen.

689 Amator innocentiæ, pacis amicus, patientiæ cibus, patientibus compatiens, & congaudens gaudentibus, perfectionis metam curſus cõſummatione contingit. Ibid. col. 3.

690 Non pateris perſecutionem, nõ vis piè vivere in Chriſto. Vis probare verum eſſe, quod dictum eſt? Incipe piè vivere in Chriſto. Quid eſt piè vivere in Chriſto? Vt pertineat ad viſcera tua, quod ait Apoſtolus; Quis infirmatur, & ego nõ infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror? Aug. in pſal. 54. col. 9.

691 Quid tam plenum affectu, „quàm miſericordia domini noſtri

Ie-

Digitized by Google

„ Ieſu Chriſti? Qui videns infirmita-
„ tem noſtram, ut nos à ſempiterna
„ morte liberaret, temporalem mor-
„ tem cum tanta iniuria, contume-
„ liaque ſuſcepit? Idem in prooem.
pſal.33.circ.fin.

692 Non ſolùm furor, ſive ira, ſed concupiſcentia, & timor, & invidia oculum animæ cõturbant. Et in univerſum perturbationes omnes, & immoderati motus aciem, perſpicacitatemq; animi confundunt, & exturbant. Baſil.Magn.in pſal.33. col.4.

693 Et quemadmodũ oculis turbidis viſibilia exactè deprehendere non valemus, ſic corde turbato ne-
„ mini conceditur incumbere veri-
„ tatis cognitioni. Secedere igitur
„ opus fuerit ab iſtius mundi rebus,
& neq; per oculos, neque per aures, aut alios ſenſus alienas in animum cogitationes introducere. Ibid.

694 Contritio cordis demolitio eſt & ſuppreſſio humanarum cogitationum. Ibid.col.antep.

695 Sua bonitate Dominus prope eſt omnibus: cõtra nos ipſos per peccatum longiùs avellimus. ibid.

696 Non perdamus pretium ſangui-

gui-

guinis Chriſti, nec maculemus ſtolam animæ per iniquitatem, aut rapinam, aut concupiſcentiam. Iacuimus, iam erecti ſumus; vulnerati fueramus, iam ſanati ſumus. Non erit excuſatio. Auguſt. ſerm. 3. in Natal. Domin aliàs 7. de tempore col. 5.

697 In die illa erit fons patens domus David habitantibus Hieruſalem in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ: quia, ſcilicet, apertus iam nobis eſt fons miſericordiæ Redemptor noſter, qui in domo David incarnari dignatus eſt, ut peccatorem lavet à perverſo opere, & menſtruatam mentem diluat ab immunda cogitatione. Patet igitur fons, curramus cum lacrymis, lavemur hoc fonte pietatis. Gregor. Magn. homil. 20. in Ezechiel. col. pen.

698 Quærere miſericordiæ fontē debuimus, etiā ſi clauſus eſſet; patet, & negligimus. Curramus poſt mortis tenebras ad aquā vitæ. Ibid. col. fin. (Lavemus holocauſtum cor noſtrū; aquam fletus, ignem gemitus ſuſpirantis effundamus in fontem pietatis; miſceamus utrumque, ut fiat balneus ſalutaris, curetur feliciùs, quàm

in

in aqua ſiloe olim, lepra peccatorũ.)
Author.

699 Præſtat magnam veniæ fiduciam latro ille venerabilis, qui nõ inde venerabilis, unde latro; nam latro ex crudelitate, venerabilis ex confeſſione. Ber. hom. 20. in Evang. col. fin.

700 Nunc idem patimur, quod evenit & avium pullis pigreſcentibus, ſemperque in nido manere cupientibus. Illi quantò diutiùs hęſerint, tantò reddũtur imbecilliores. Nidus „ enim quidam eſt præſens vita, ex „ feſtucis, & luto compactus. Chryſoſt. homil. 3. in epiſtol. ad Coloſſenſ. col. 8.

701 Cui charitatis diadema incũ„ bit, iam nihil obſtat, quo minùs „ Chriſti diſcipulus verè exiſtimari „ poſſit, non nobis ſolùm, ſed & im„ pijs. In hoc enim, inquit, intelli„ gent omnes „ meos vos diſcipulos eſſe, ſi invicem diligatis. Amor diſcipulatum Chriſti probat: igitur non ſumus diſcipuli eius, ſi ad invicem non diligimus. Idem in epiſt. 1. ad Cor. hom. 32.

702 Dei Filius mons magnus eſt: „ & ideo aſcende in hunc montem, „

qui

„ qui evangelizas Sion, ut ſtes radi-
„ catus, & plantatus in Chriſto. Eſt
„ & mons quaſi ſapientia Dei; eſt
mons quaſi iuſtitia; eſt mons quaſi
ſcientia Dei; eſt mons quaſi ſanctifi-
catio; eſt mons quaſi redemptio, eſt
mons quaſi reſurrectio. Ambroſ. in
pſal. 35. verſ. Iuſtitia tua. [Ego verò
aſcendere montem hunc ſublimem,
gravatus onere gravi, prorſus ne-
queo; ſed neque collem, conſiderans
Redẽptorem; ſic urgeor delictorum
pondere; videam ſaltem te humilia-
tum popter me; paſſionis tuæ Domi-
ne iugis ſit memoria; audiam in val-
le, quid loquaris mihi domine Deus,
ut exalter ad te, iam exaltatum ſuper
cœlos cœlorum ad orientem. In val-
le lacrymarum ſunt aſcenſiones ad
te altiſſime Ieſu Chriſte, ibi præce-
ptor divine doce me, quomodò aſcẽ-
dam, quomodò ad te veniam, inſtru-
ctum trahe, quia fruſtra cognoſco;
incaſſum intelligo, niſi tu trahas, tu
adiuves, eligas, & affirmas.] Author.

703. Tria impediunt exteriorem
oculum noſtrum, ne videat: tenebræ,
humor concretus, pulvis iniectus.
Hæc ipſa ſunt, etiam quibus interior
ocu-

oculus impeditur, ſed alia nomina ſortiuntur. Bern. ſer. 5. in Aſſumpt. B. V.

704 Nam quod hìc tenebræ, ibi peccata dicuntur. Ipſa verò peccata confluunt in memoriam, quaſi in quandam ſentinam; & hìc eſt humor ille concretus. Quod autem hìc pulvis dicitur, hoc ibi cura terrenorũ actuum. Ibid.

705 Quid eſſe gravius, atq; onuſtius poteſt, quàm afflictionem ſeculi prætereuntis perpeti, & nequaquam, ad revelationẽ mentis, gaudia remunerationis ſperare? Gregor. Magn. lib. 1. moral. cap. 15. [Spes itaque æternorum vigeat in corde fidelium, ne mens eliſa concidat: ferveat in bono opere charitas, ut fructuoſa ſit fides, & ſpes non confundat.] Author.

706 Sine intermiſſione pro nobis holocauſtum Redemptor immolat, qui ſine ceſſatione Patri ſuam pro nobis incarnationem demonſtrat. Ipſa quippe eius incarnatio noſtræ emundationis oblatio eſt. Idem ibid. cap. 24.

707 In oratione noſtra dicere voce Veritatis inſtruimur; Fiat volun-

tas

tas tua, ſicut in cœlo, & in terra: ut nimirum voluntas Dei, ſicut à ſuperiori creatura agitur, ita omnibus etiam ab humana infirmitate ſervetur. Idem lib. 27. cap. 25.

708 Si iuſtitiam vindicantis formidare negligimus, ſaltem vocantis, & miſerentis pietatem erubeſcamus. Gregor. Magn. pſalm. 5. Pœnitent.

709 Bene lilium Chriſtus: quid enim candidius lilio? quid odoratius? Et Chriſto quid candidius eſſe poteſt? quid ſuaveolentius? Eſt verò & „ lilium convallium, ideſt humilium „ animarum, & mitium. Eſto ergo „ mitis, humilis, atque manſuetus; „ ut in te ſicut lilium germinet Chri„ ſtus. In corde humilis, & mitis Chriſtus quaſi lilium floreſcit, datq; ſuavitatem odoris. Ex collectan. Ambroſ. in Cantic. cap. 2.

710 Si quælibet bona adſint opera: nulla ſunt, niſi ex humilitate condiantur. Miranda quippe actio cum elatione non elevat, ſed gravat. „ Qui enim ſine humilitate virtutes „ congregat, quaſi in vento pulve„ rem portat; & unde aliquid ferre „ cernitur, inde deteriùs cœcatur.
Idem

Idem in Evang.hom.8. in fin.

711 Deficientes ut fumus defi-
„ cient. Fumus quippe aſcendendo
„ deficit,ſeſe dilatando evaneſcit.Sic
„ videlicet fit, cùm peccatoris vitam
præſens felicitas concitat: quia
unde oſtenditur,ut altus ſit,inde agi-
tur, ut non ſit. Idem lib. 1. epiſtol. 5.
[Exiſtimo autem per paucos ſubli-
mia mundi huius reſpui: interio-
rem hominem facilè dignitate ruere
quis intelligit? indignum ad grandia
quàvis maxima quis putet ſe eſſe? at
potiùs, cũ alter attollitur, illarum ſibi
gravamen conqueritur, fruſtra labo-
raſſe, quæſiſſe virtutes?] Author.

712 *Solerter vigilandum eſt*, ut
„ cùm pulſare mẽtem culpa inchoat;
„ peractam culpam quis finis ſequi-
„ tur, attendat: ne, ſi malæ ſuaſionis
„ blandimenta non perſpiciat, in ne-
„ quiſſimæ tenebras perpetrationis
„ neſciens ruat. Gregor. in pſalm. 3.
Pœniten. verſ. Quoniam.

713 In hoc mare ſeculi (ubi San-
ctorum numerus coarctatur, & in
tribulatione poſitus eſt) deſcenderunt
Apoſtoli, & primus Dominus, ut nos
de amaris fluctibus liberaret. Hie-
ron.

ron.lib.3.in Zachar.cap.12.

714 In hoc mare ſagena Evangelij mittitur: quæ teſtimonijs texta eſt ſcripturarum: ut piſces multos & obrutos mundi huius gurgitibus in auram extrahat liberam, ut poſſint laudes Deo canere. Ibid. [Ieſus itaq; deſcendit primus in aquas ſalſedine amaras; in mundo etenim eadem, quæ exiſtimatur dulcedo, amaritudo eſt, & quæ videtur medicina, venenum. Dilectus unicornis, cornu ſalutis erectum in domo David ſalutare fecit, & in medicamen convertit. Sit ſalus illi decus, atque virtus per ſecula.] Author.

715 Implete hydrias aqua, dixit Dominius, capientes ſingulæ metretas binas, vel ternas. Quæ ſunt duæ metretæ, quæve tertia? Vtique duplex timor communis, & notus omnibus. Ac tertius quidem minùs communis, & minùs notus. Primus enim timor eſt, ne cruciemur in gehenna; ſecundus, ne excluſi viſione Dei privemur tam inæſtimabili gloria. Tertius replet animam omni ſolicitudine, timidam, ne fortè deſeramur à gratia. Bernar. ſerm.2. Dominic.

Digitized by Google

nic.poſt octav.Epiphan.

716 Omnis quidem timor Domini, ſicut aqua extinguit ignem, ſic extinguit peccati concupiſcentiam. Idem.

717 Saulus Paulus factus eſt hu-
„ milis, & mitis corde. Probat oris
„ confeſſio cordis humilitatem, dum
„ clamat; Domine quid me vis face-
„ re? Magis autem probat ipſa colla-
„ tæ gratiæ magnitudo, quæ nimi-
„ rum tam multa, niſi multùm hu-
„ mili data non fuit. Idem ſerm. 2. in Converſ. S. Pauli. [Niſi ergo vacuetur prorſus cor æſtimatione ſui, ſuaque voluntate, non implebitur divina gratia: quò affectibus ſecularibus vacantius, eò gratia cœleſti redundantius: non capit utrumque.] Author.

718 Huiuſmodi eſt natura peccati; habet, antequam perpetretur, aliquam voluptatem; ubi verò conſummatum fuerit, voluptas illa ceſſat, atque marceſcit: ſubit autem continuò mœſtitudo, ac triſtitia ingens. Chryſoſtom. hom. 2. in epiſt. ad Epheſ. in moral.

719 E contra verò iuſtitia initiò qui-

quidem labores habet: in fine autem voluptatem, ac requiem: neque illic voluptas iucunda eſt expectatione infamiæ, & pœnæ,& hic labor moleſtus non eſt præmiorum ſpe. Ibid.[Et nihilo minus præſens illud quamvis modicum allicit; futurum deſpicimus,& ſi magnum.]

720 Præſentis temporis gloria & nulla eſt, & inſtabilis fluctuat: & ſi aliquandiu permaneat, repentè tamen extinguitur. Neque enim, inquit, deſcendet cum eo gloria eius. Plurimos autem neque ad finem uſque comitata eſt. Idem ubi ſupra circa fin. homil. (Quæ quotidie legimus,& experimur ſive in nobiſipſis, ,, ſive in alijs: veruntamen ſatis rarus ,, eſt, qui gloriam mundi negligat, ,, eamque ſectetur, quæ à Deo eſt. ,, Vnde autem hoc? prorſus non ca,, pio; dico quantum ſapio: infirmi,, tati fidei tribuo, quæ impacta re,, manet, dum à bonis vacamus ope,, ribus, inhæremus ſecularibus,) Author.

721 Quod auro ignis,hoc animabus afflictio: ſordes purgans, puros reddens, ſplendidos efficiens & hilares:

res: hæc enim in regnum introducit, proſperitas in gehennam. Propterea lata quædam eſt altera: anguſta verò altera. Vnde Ieſus dicebat; In mundo preſſuram habebitis: tamquam magnum aliquid bonum, quod nos comprehenderet. Idem homil. 26. in ſecund. ad Corinth. in moral. (Rarus tamen eſt, qui tribulationem patiens ſuſcipiat: perrarus, qui hilariter toleret, vel deſideret: ad vulnera ſua plerique cupimus malagmata, & unguenta; ignem reſpuimus, ferrum, & ſectionem.) Author.

722 Tunc certè virtus maximè à corporis liberat vinculis, & à terra in cœlum ſublimem eſſe facit, ſi pura ſit à vana gloria, quemadmodũ hæc admiſſa in plurima inducit peccata. Idem ibid. homil. 29. in moral.

723 Fieri enim non poteſt, ut qui non eſt purus à vana gloria, ſublimis, magnus, ac ſtrenuus fiat: ſed neceſſe eſt, ut humi repat: & magis corrumpit ſibi ſervientem tam polluta domina, quovis barbaro crudelior. ibid.

724 Quid enim illa ferocius fuerit,

„ rit, quàm ſi ei maximè ſervitur?
„ tunc enim maximè ferocit, quam-
„ vis hoc neque beſtiæ efferæ ſolent,
„ quæ multo miniſterio māſueſcunt:
„ contra vanæ gloriæ cupiditas, quā-
„ do contemnitur, manſueſcit: quan-
„ do autem colitur, effertur, & ſe
armat contra ſe colentem. Ibidem.
(Caveat virtute præditus, ſcientiaque cultus vitij huius ſervitutem: ferè ſenſim vulnerat, ſed ad mortem: modicus fragor foris, parvus ſtrepitus, ſed viſcera penetrat, ferit intima; bona opera vacuat, reddit inutilia.) Author.

725 Qui ſibi nullius bonæ rei cōſcius ſubmiſsè de ſeipſo loquitur, prudens eſt, non modeſtus: at qui poſt certamina viriliter geſta, pluresque emeritas coronas humiliter narrat, ille novit, quid ſit modeſtia. Idē hom. in epiſt. ad Galat. col. 27.

726 Nihil ita ſplendidum, ut vinctum eſſe propter Chriſtum, ut catenæ ſunt ſanctis illis manibus circumdatæ. Vinctum eſſe propter Chriſtū illuſtrius eſt, quàm ſive Apoſtolum, ſive Doctorem, ſive Evangeliſtam eſſe. Idem hom. 8. in epiſt. ad Epheſ.

Siquis

727 Siquis Chriſtum diligit, is novit, quid ſit, quod dico. Siquis erga Dominum inſanit, ut ita dicam, & ardet: is novit, quæ ſit vinculorum virtus. Hic utiq; priùs habebit optione data, vincula ferre propter Chriſtum, quam cœlos inhabitare. ibid.

728 Siquis Chriſtum diligit, is novit hanc dignitatem, hanc intelligit virtutem, agnoſcit quantum ſit illud, quod humano generi largitus eſt Deus, nimirùm ligari pro eo. Iſtud forſan illuſtrius etiam eſt, quàm ſedere ad dexteram ipſius; honeſtius quā ſedere ſuper duodecim thronos. Ibid.

729 Si Chriſtus ipſe pro me ſervus factus, gloriamque ſuam exutus, tāti non duxit eſſe in gloria, quanti quòd mei gratia crucē ſubiret: quid quæſo illius nomine ferre non debeo? Ibid.

729 Audi ſiquidem, quid ipſe dicat: Glorifica me, inquit, tu Pater. Quid dicis? Ad crucem cum latronibus, ac prædonibus ducendus, maledictorumque necem ſubiturus: deinde & conſpuendus, & virgis percutiendus es, atque alapis: iſta & vocas gloriam? Vtique inquit. Nam pro di-

lectis iſta patiar; atque ea nunc mihi pro gloria duco. ibid.

730 Caro noſtra diverſis agitatur fluctibus,& frequenti modo fluctuat paſſionibus, quibus huc, atque illuc tamquam ſuper undas moleſtiarum ſuarum nunc fame, nunc ſiti, nunc cupiditate, nunc gaudio, nunc dolore iactatur. Ambroſ. de Noe, & Arc. cap. 15. [Hæc fortè navicula, dormiente Chriſto domino, in medio mari fluctuantis ſeculi cruciatur, ut exerceatur: exurge Ieſu naviger vigilans, ne frangatur, & naufragium faciat: tu navicularius amans, qui navi præes, impera ventis,& mari; fac in manu potenti, dextera excelſa, & omnipotentia tua tranquillitatem.] Author.

731 Qui benè ſervit Domino, & nihil facit quaſi ſervus peccati, ſed dicit; Servus inutilis ſum: quod debui facere, feci, benè is dicit; Retribue ſervo tuo. Glorioſa ſervitus, qua pro nobis ſervivit & Chriſtus. Beata ſervitus, qua & tu ſervis: ſed ita ſi nihil poſſit adverſarius de tuo ſervitio vēdicare. Idem in pſ. 118. octon. 3. verſ. Retribue &c. [Veruntamen ſi adhuc

pec-

peccato miſerrimè ſervis, & captivaris iniquitate, fuge ad Redéptorem, inclama eum, & dic; Redime me, & miſerere mei.] Author.

732 Chriſtus vita eſt: & ideo qui in umbra Chriſti vivit, in umbra vitæ eſt. Meritòq; alibi dicit Sanctus Domino; In umbra alarum tuarum protege me. Omnes ergo, etiam Sancti, in umbra ſunt, quamdiu ſunt in corpore: non perfectè vident, ſed ex parte cognoſcunt. Idem ibib. pag. 3. circ. fin. & ſequent.

733 Nathanaël ſub arbore fici videtur, David in umbra alarum Domini Ieſu ſperare ſe dicit, Zachęus in arborem ſicomori aſcendit, ut Chriſtum videret. ibid. [Protegunt alæ Ieſu; ſcapulis ſuis obumbrat Chriſtus; ſcuto circumdat, ne timeamus à timore nocturno, à ſagitta volante per diem, ab incurſu, & Angelo malo perſequente. Minùs dixi; Brachia Redemptoris extenſa crucis in ſtipite, cuius ſub umbra ſtat, quæ diligit, elevant adhærentes, licèt terræ, laſſos allevant, errantes revocant; tuentur nos, ne impugnemur corporis paſſionibus, ne decoloremur illecebris carnis.] Author.

734 Pulchrè dictum eſt: equitatus tuus ſalus; quòd caro Domini mei Ieſu mundi totius erat ſuſceptura peccatum, ut ſalus pro exitio, & vita æterna pro morte ſuccederet. Solus Ieſus peccatum non fecit, ſolus Chriſtus abſtulit peccatum mundi: qui dixit morti; Vbi eſt mors victoria tua? ubi eſt aculeus tuus? Idem in pſal. 40. verſ. Etenim &c. [Felix anima, quæ Verbo Dei diebus inhæret, ac noctibus, in lege eius nocte diuque meditatur: verba vitæ ſunt cibi vitales, quos nulla amaritudo corrumpit, nulla mortis corruptela contaminat. Cor cibus iſte non gravat, eius non premit crapula, ſublevat, tollit in altum.] Author.

735 Amantis affectu corripit proditorem dominus Ieſus, inquiens; Iuda oſculo filium hominis tradis? Hoc eſt amoris pignore vulnus infligis? & charitatis officio ſanguinem fundis? & pacis inſtrumento mortem irrogas? Servus Dominum, diſcipulus prodis magiſtrum, electus auctorem? Idem lib. 10. in Luc. cap. 22.

736 Et oſculatus eſt eum. Non quò ſimulare nos doceat, ſed ut ne

pro-

proditionem refugere videretur, & plùs afficeret proditorem, cui amoris officia non negaret, quia ſcriptum eſt; Cum odientibus pacem eram pacificus. ibid.

737 Ignota erat ante Chriſti adventum via vitæ, quæ nullius adhuc reſurgentis fuerat temerata veſtigio. At ubi Dominus reſurrexit, nota facta ſolo attrita eſt plurimorum. Idem ſerm. 22.

738 Poſſumus iam dicere domino Ieſu: Notas feciſti nobis vias vitę. Ipſe enim nobis notas fecit vias vitæ, qui nobis ſemitas manifeſtavit ad vitam. Notas enim mihi fecit vias vitæ, cùm me docuit fidem, miſericordiam, iuſtitiam, caſtitatem. His enim pervenitur itineribus ad ſalutem. ibid.

739 Quis cibus ſuavior, quàm is, quem animus bene ſibi conſcius, & & mens innocentis epulatur? At verò iniquitas velut quodam plumbeo talento (ut ſcriptura teſtatur) conſcientiam gravat. Meritòque David ait; Sicut onus grane gravatæ ſunt ſuper me iniquitates. Idem in pſalm. 35. verſ. 1.

740 Et Salomon: Sicut uva acerba dentibus, & fumus oculis: ita iniquitas omnibus utentibus ea. Gravis pœna, quæ cibum impedit, aſpectum obducit, & (quod eſt amplius) oculis mentis internæ tenebroſam offundit caliginem, ut quod verum eſt, videre non poſſit iniuſtus. ibid.

741 Athletas, cùm vicerint, certum eſt coronari, non antequam vincant. Nobis lucta cum ſeculo eſt. Vince ante ſeculum, ut coronam petas. Nemo ante coronatur, niſi certamen impleverit. Qui ſtadium currunt, numquid ante bravium accipiunt, quàm ſtadium percurrerint? Quanti priores in exitu cadunt, & curſus ſui celeritate fraudantur? Idem in pſal. 36. verſ. Ne æmulatus &c. vel iuxt. Vulg. Noli æmulari &c. (Habet itaque fructum boni operis perſeverantia, quæ in ſe confidentibus à Domino nō negatur. Quot videmus poſt medium curſum feliciter trāſactum, circa finem miſerabiliter deficere: nō loquuntur fructuosè ad Dominum, in conſpectu eius humiliantes ſe, ut ſubſequatur miſericordia, quos prævenit, & comitata eſt gratia: ſed apud

ſemet-

Digitized by Google

ſemetipſos cum Phariſęo bona opera recenſent, quaſi ipſi, non Dominus operati, & ideo repelluntur.) Author.

742 Bibe Chriſtum, quia vitis eſt. Bibe Chriſtum, quia petra eſt, quæ vomuit aquam. Bibe Chriſtum, quia fons vitæ eſt. Bibe Chriſtum, quia flumen eſt: cuius impetus lætificat Civitatem Dei. Bibe Chriſtum, quia pax eſt. Bibe Chriſtum, quia flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ. Bibe Chriſtum, ut bibas ſanguinem, quo redemptus es. Ambroſ. in pſalm. 1. verſ. 2.

743 Gravior adverſarius nobis culpa eſt noſtra, quæ ſollicitat otioſos, affligit ſanos, contriſtat lætos, inquietat placidos, exagitat mites, excitat dormientes. Rei ſumus ſine accuſante, ſine tortore cruciamur, ſine vinculis adſtringimur, ſine venditore venditur. Idem in pſal. 32. verſ. Non eſt.

744 Qui veraciter ſeipſum humiliat, in iram numquam invehi poteſt, nec proximo ſuccenſere, cùm anima ſe corripiat, & ſua conſideret. Chryſ. hom. 72. ad popul.

745 Anima verò ſic diſpoſita, quidnam poſſit eſſe beatiùs? talis in portu continuè ſedet, ab omni liberatus procella, ſeque cogitationum delectans tranquillitate: & propterea Christus aiebat; Et invenietis requiem animabus veſtris. ibid.

746 Ne unum quidem diem toto „ vitæ noſtræ tempore nos tranſige- „ re licet, ſi fieri poteſt, quo non ali- „ quid ſpiritualis lucri nobis repona- „ mus, vel per orationem, vel per „ confeſſionem, vel per beneficen- „ tiam, vel per aliam ſpiritualem „ quampiam actionem. idem homil. 73.

747 Aſſiduè perpendo rerum humanarum naturam, quæ nihilo meliùs habet, quàm omnium defluxus, & fumo in aerem evaneſcente fugacior eſt, & umbra prætercurrente inanior. In his ſi philoſophatus fueris, nec ſuavia te poterunt inflare, nec moleſta deijcere. idem hom. 14. col. 6.

748 Charitas noſtra Chriſtus. Ieſus amor noſter. Bona charitas, ardens amor, fortis dilectio, quando obtulit ſe morti pro dilectis: imo & pro

pro inimicis; amoris ultima meta, bona charitas, quæ peccatum remiſit. Et ideo anima uoſtra induat charitatem huiuſmodi, quæ ſit valida, ut mors, quia ſicut mors finis peccatorum, ita & charitas. Ambroſ.lib.de Iſaac &c. cap.8. pag.3.

749 Oleum effuſum nomen tuum. Ecce Chriſtus, ecce Ieſus: utrumque infuſum Angelis, utrumque effuſum in homines, & illos homines, qui cõputruerãt tamquam iumenta in ſtercore ſuo; homines & iumenta ſalvans, quemadmodùm multiplicavit miſericordiam ſuam Deus. Bernard. ſerm.15. in Cantic.

750 Quàm carum, quàm vile. Vile, ſed ſalubre. Si vile non eſſet, non mihi effunderetur. Si ſalubre non eſſet, non me lucraretur. Particeps nominis ſum, ſum & hæreditatis. Chriſtianus ſum: frater Chriſti ſum. Si ſum, quod dico, hæres ſum *Dei*, cohęres autem Chriſti. ibid. [Vereor nimis perdere te domine Ieſu, maxima culpa mea: pro eo ut ſequar te Redemptor bone, fugio à te: tu verò ſequeris: invicem contendunt, pietas tua, ingratitudo mea: vocationes tuę,

ſurditas mea: tu Domine converteris ad me, ego me averto à te. Impellis, ego renuo: derelinqueres me, niſi Deus eſſes, cuius crura marmorea ſunt, qui non laſſaris, non vinceris tędio, meis non ſuperaris culpis, non malis, ſed vincis in bono malum. Ne Domine itaq; repellas me in finem, quia tuus ſum.] Author.

751 Tantum fuit Domino ſtudiũ „ tuæ ſalutis, ut propemodum de ſua „ periclitaretur, dum te lucraretur. Ille propter te diſpendia noſtra ſuſcepit, ut te divinis insereret, cœleſtibus conſecraret. Mirè addidit Apoſtolus; Pro nobis omnibus tradidit illum; ut oſtenderet, quòd ita omnes diligat, ut dilectiſſimũ ſibi Filium pro ſingulis traderet. idem lib. 1. de Iacob. &c. cap. 6.

752 *Satis dulcis eſt charitas; Deus charitas eſt. Quid dulcius Deo? O quàm felix, & beata eſt anima, quæ charitatem in ſe habere meretur.* Auguſt. ſerm. 42. de tempor. aliàs 2. Domin. 2. poſt Epiphan.

753 Charitas ſitienti potus, in amaritudine poſitis dulcedo, in triſtitia conſtitutis vera, & grata conſo-

latio,

latio, fluctuantibus portus, errantiū via, peregrinantibus patria. ibid.

754 *Si Petrus, qui vidit obſcuram quandam imaginem futurorū, omnia continuò reiecit ab animo propter voluptatem inditam animæ à tali aſpectu, & clamavit: Domine bonum eſt nos hic eſſe: quid dicemus quando rerum veritas aderit, quando regijs cubiculis adapertis, contueri licebit ipſum regem, non per ænigma, neque per ſpeculum, ſed facie ad faciem; non ampliùs, inquàm, per fidem, ſed per ſpeciem.* Chryſoſt. Paræneſ. prior. ad Theodor. cap. epiſt. 5. col. 21. tom. 5.

755 *Oratio caminū ignis extinxit, oratio concluſit ora leonum, oratio ſeditionem cōpeſcuit, oratio paradiſum aperuit, oratio ſterilem fœcundavit, oratio Cornelij cœlos penetravit, oratio publicanum iuſtificavit. Orationes murus nobis ſunt, & munimen.* Idem homil. ad popul. in fin. tom. 5.

756 *Miſericordia nihil eſt melius. Cauſa lucis eſt, & ad futurum quoque lucis eſt cauſa. Et orietur, inquit Propheta, matutino tempore lux tua,*

ſi miſericordiam in proximum feceris. Et quemadmodum oleum lucem iſtam conſervat, ita & eleemoſyna magnam nobis, & admirabilem in futuro lucem largietur. Idem hom. 4. ad Philip. in Moral.

757 Si miſericordiam abſtuleris, ò Deus, quis perſiſtet? Et ſi ingreſſus fueris, inquit, in iudicium cum ſervo tuo. Magnum quid eſt homo, propter quid? Et pretioſum, inquit, vir miſericors. Iſtud enim eſt homo miſericors: imò, miſereri eſt Deum eſſe. ibid.

758 Quid timeo confiteri? quid timeo dicere peccata mea? quid vereor opprobrij mei mentionem facere apud eum, cuius iudicia dulcia ſunt? Quod ſeverum in alijs, in Chriſto dulce eſt, in Chriſto ſuave eſt, quia ipſe ſuavis eſt. Ambroſ. in Pſal. 118. Octon. 5. circ. fin.

759 Servus ſum, expecto alimentum à Domino: miles ſum, exigo ab imperatore ſtipendiũ: vocatus ſum, poſtulo ab invitante promiſſum. Idẽ ibid. Octon. 7. verſ. memento.

760 Moyſes manus quidem levat, non tamen extendit: cui ergo ſervabatur,

batur, ut manus extenderet, niſi Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui extenſus in cruce univerſum orbem complexurus brachia pietatis extendit? Auguſt. ſerm. 93. de tempor. [Complectere me itaque bone Ieſu, ſalvator mundi, quamvis iniquum & peccatorem; non excludar propter iniquitatem meam; latitudo charitatis tuæ optime Ieſu comprehendat latā nimis malitiam meam: multa quidē flagella peccatoris, ſperantem autem in te miſericordia circumdabit: ſemper latior peccato meo, pietas tua ſemper validior.] Auctor.

761 Fidei meæ finis Chriſtus eſt, finis fidei meæ Dei Filius eſt. Non licet mihi ſcire generationis ſeriem, non licet tamen neſcire generationis fidem. Crede igitur ſic, quemadmodum Petrus credidit, ut & tu beatus ſis, ut & tu audire merearis: Quoniā non caro, & ſanguis revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt. Ambroſ. in Luc. cap. 9.

762 Quomodo genitus eſt? (idē enim indignabundus repeto) Dei generatio ſilentij honore decoretur. Abunde magnum tibi eſt, ſcire eum geni-

genitum eſſe. Quo autem modo genitus ſit, ne ipſis quidem Angelis, nedum tibi intelligere conceſſerim. Vis declarem quomodo? Vt ſcit Pater, qui progenuit, & Filius, qui progenitus eſt. Naz. orat. 35. n. 30.

763 Quæ ſunt portæ mortis, hoc eſt inferi, niſi ſingula quæque peccata? Si fornicatus fueris, portas mortis ingreſſus eſt. Si fidem læſeris, portas inferi penetraſti. Si peccatum mortale commiſeris, portas mortis intraſti. Sed potens eſt Deus, qui exaltet te de portis mortis, ut annunties omnes laudes eius in portis filiæ Sion. Idem ibid.

764 Arduum eſt crucem tollere, animam periculis, morti corpus offerre; negare quod ſis, cùm velis eſſe, quod non ſis: raròque quamvis excelſa virtus, futuris præſentia cõmutat. Difficile quippe videtur hominibus, ut ſpem periculis emant, damnoque præſentium futuræ lucrũ mercentur ætatis. Idem ibid. [Da igitur Ieſu fortis imbecilli robur, adauge fidem, cõmunica ſpem, utramque ſepi amore virtutum, ne volucres cœli tollant de corde noſtro, ſuper-

perſeminantes inimici zizania, loliũ, ſemina mala, quæ in ignem mittantur.) Auctor.

765 Nemo poteſt fugere mortẽ, niſi vitam ſequatur. Vita tua Chriſtus eſt, ipſa eſt vita, quæ mori neſcit. „ Itaque ſi volumus mortem non ti- „ mere, ſtemus ubi Chriſtus eſt, ut & „ de nobis dicatur verè: *Sunt aliqui* „ *hìc ſtantes, qui nõ guſtabunt mortem.* Non ſatis eſt ſtare, niſi ubi Chriſtus eſt, ſtetur. Soli enim non queunt guſtare mortem, qui poſſunt ſtare cum Chriſto. ibid.

766 Ablue lacrymis peccatorum ſordes, frontẽ verbera, pulſa pectus, in ſenſum veni eorum, quæ peccaſti. *Compungimini, inquit, in cordibus veſtris in cubilibus veſtris*, ut quæ in die fecimus, in nocte meditati gemamus. Chryſoſt. homil. 22. ad popul. (Frigidiſſimum peccati venenum, obſtupefacit interiores animi ſenſus, ut eius põdus nequaquã ſentiat, gravedinem non intelligat, damnum non advertat, totus ſit in conſideratione momẽtaneæ delectationis peccator, quæ oriatur ſaltem operando, quod vult.) Author.

Abre-

Digitized by Google

767 Abrenuncio tibi Satana, & coniungor tibi Chriſte. Nec unquam abſque hac voce exeas: hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis. Cum hoc verbo & crucem in fronte imprime: ſic enim non tantum homo occurrés, verùm nec ipſe diabolus te quicquam lædere poterit, cum his te cernens armis ubique apparentem. Idem hom. 21. in fin.

768 Quomodo Chriſtus inhabitet in cordibus noſtris, audi Chriſtum ipſum: Veniemus, inquit, ego, & Pater, ac manſionem apud eum faciemus. In cordibus fidelibus in dilectione ipſius radicatis, non circumfluctuantibus. Idem homil. 7. in Epiſt. ad Epheſ. [In fide nihil hæſitans: qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento movetur, & circumfertur: anchora ſpei fixus, ut non moveatur: pondere etiam amoris factus immobilis: ſic corde dilatatus, ut eius, quem cœli capere non poſſunt, fiat habitaculum. (Exprimat, qui experiendo felix didicit.) Author.

769 Impietates noſtras tu Ieſu pro-

propitiaberis, aſſumpſiſti enim à nobis, quod offerres Domino, ipſas videlicet ſanctas primitias carnis ex utero Virginis: tu ſacerdos, tu victi-
„ ma: tu oblator, tu oblatio: ipſe ſa-
„ cerdos es, qui nunc ingreſſus in in-
„ teriora veli ſolus ibi ex his, qui car-
„ nem geſtaverũt interpellas pro no-
„ bis. Auguſt. in Pſal. 64. col. 8.

770 Quid eſt ſe noſcere, niſi ut ſciat unuſquiſque hominem ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factum, rationis capacem; qui terram ſuam excolere tanquam bonus agricola debeat aratro quodam, & falce ſapientiæ. Ambroſ. in Pſal. 118. octon. 2. (Simile dicit Apoſtolus: Agricultura Dei eſtis: & Dominus dicit: agricola Pater meus eſt. Alibi verò Ieſus vitem ſe affirmat, nos palmites: Væ nobis ſi non manſerimus in vite, quibus nil aliud conveniat niſi ignis: infructuoſi pampini urbis cœleſtis ſtructuræ prorſus inutiles. Adiuvet nos ipſe, quem amamus, Ieſus (Chriſtus Deus Dominus noſter: cui gloria, honor, & virtus per infinita ſeculorum ſecula. Auctor.

771 Non ſubrepat, Domine Ieſu, omni-

omnipotens redemptor, & pie, terrenarum mihi delectatio cupiditatū, non vanitatum phantaſmata mentē occupent; quæ, cùm in diverſa animum traxerint, tantam inducunt caliginem negligentiæ, & cœcitatis tenebras opponunt, ut, cùm appetere cœperit infima, nullatenus erigatur ad ſumma. Gregor. Magn. in Pſal. 7. pœnit. verſ. notam fac, &c.

772 Beatus planè, quem iniquitas non onerat, non revocat delectatio, non inclinat voluptas, quem non gravat cupiditas, non deprimit opulentia, non trahit ambitio, ſicut ſcriptum eſt: Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit. ibid.

773 Contendat Chriſtiana anima facere voluntatem Dei ſui: agnoſcat Creatorem ſuum, audiat vocē eius, dirigat viam eius, obediat præceptis eius. Oret, ut doceatur; poſtulet, ut dirigatur; ſupplicet, ut confirmetur. Ibidem verſ. Eripe, &c. (Quid verò magis audire vocem dominicam impedit, quàm ſeculi rumor, diſſidia fori, negotiorum clamor temporalium? ut audiat itaque anima, quæ cupit

cupit cœleſtia, ſempiterna ambit, & ad amantis vocem ſponſi, ac trahentis dicit; Trahe me poſt te, in odorem curremus unguentorũ tuorum: vox tua dulcis, facies tua decora. Et iterum; Vox turturis audita eſt in terra noſtra: ſonet vox tua in ,, auribus meis; claudat ſeculo oſtiũ ,, cordis, ut aperiat ſponſo, ſurgat il- ,, lico ad contactum eius, nè moram ,, faciens aperire, pertranſeat ille fu- ,, giens guttas noctis: quis ſcit ſi de- ,, nuò vocet, qui tempore accepto ,, exaudit, & in die ſalutis adiuvat?) Author.

774 Pacem ſuper pacem, ſolatiũ verum dilectis ſuis daturum ſe Dominus repromiſit. Super pacẽ enim, quam eis in hac vita tribuit, in æterna felicitate aliam divina miſeratio dabit; ut iam caro non repugnet ſpiritui, nec aliqua ullius tẽtationis ſubrepat occaſio, omnibus iam compo- ,, ſitis: ut reformata in melius huma- ,, na natura, nemo iam cadere, nemo ,, poſſit peccare. Idem ibid. verſ. Spiritus tuus bonus, &c.

775 Qui dicit; Inclina ad me; confitetur, quia iacet tanquam ęger pro-

ſtra-

ſtratus medico ſtanti: denique vide, quia æger loquitur, Inclina ad me aurem tuam: & ſalvum me fac: eſto mihi in Deum protectorem. Non ad me iacula inimici perveniant: ego enim me protegere non poſſum. Auguſt. in Pſal. 70. col. 2. par. 1.

776 Et parum eſt, In protectorem, addidit: & in locum munitum mihi ,, eſto, ut ſalvum me facias: tu eſto ,, locus munitus meus. Vbi eſt, quòd ab illo fugiebas Adam, & te inter paradiſi ligna abſcōdebas? Vbi eſt, quòd eius faciem formidabas, ad quem gaudere conſueveras? ibid. [Avertit timor, & culpa peccantem à Deo; tenebroſus fugit à lumine; non ſuſtinet medici præſentiam ægrotus; ope- ,, rit eum cōfuſio, & verecundia; op- ,, probria exprobrantis Domini ca- ,, dunt ſuper eum: ingratitudo pungit, & præſentia Dei quaſi manu ſua gravatur anima delinquentis: ſed nec vitari poteſt is, qui ubique eſt, ſed placari: adſit mihi Dominus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere. Factus locus refugij mei, qui primo erat metus fugæ meæ. Auth.

777 Qui propter beneficia terre-

na

na Deum quærunt, non utique Deũ, ſed illa quærunt: quia eo modo timore ſervili, nõ liberali dilectione Deus colitur. Sic ergo Deus non colitur, hoc enim colitur, quod diligitur. Vnde rebus omnibus maior, & melior invenitur, plùs omnibus diligendus eſt, ut colatur. Idem in Pſal. 77. col. 16. [Si verò miſeri temporalibus rebus, ſeu cupiditatibus illecti, vel potiùs irretiti, hæc meditamur, raró ad Dominũ, & tunc perfunctoriè mentem attollimus, quid mirum ſi ea diligimus, quæ cogitamus, appetimus, quæ videmus, præſentibus fruimur quamvis amaritudine permixtis; futura permanentia, quæ nunc ſola meditatione percipi aliquatenus poſſunt, nauſeamus, quia cogitare negligimus: ſeculi admiramur huius ſolummodo felicitatem, invidemus felicibus. Deficiunt in vanitate dies noſtri, & anni cum feſtinatione: feſtinat quippe tota vita mortalium, & quæ videtur prolixior, vapor eſt aliquanto diuturnior.] Author.

778 Amor Ieſu ſagitta eſt electa, quæ Mariæ animam non modò confixit, ſed & pertranſivit, ut nullam in pe-

pectore virginali particulam vacuam amore relinqueret, ſed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret, & eſſet gratia plena. Bern. ſerm.29. in Cantic.col.pen.

779 Et illa quidem in tota ſe grãde, & ſuave vulnus amoris accepit. Ego verò me felicem putaverim, ſi ſumma ſaltem quaſi cuſpide huius gladij pungi interdum me ſenſero, ut vel modico accepto amoris vulnere dicat etiam anima mea: Vulnerata charitate ego ſum. ibid. [Si hæc Bernardus, quid ego miſer dicam? quomodo iſta tractare audeo culpis ſeptus, circumdatus peccatis, delictorum veneno infectus, undequaque frigidus: qui ſolùm terrena ſapio, ſectari viſibilia affectuosè non deſino? Ieſum non quæro, advenientem non recipio, vocanti aures obturo, vocem reſpuo incantantis?) Author.

780 „ Dormientem, & mortuum „ Apoſtolus dicit eum, qui in pecca- „ tis eſt. Nam & malè fœtet, ut mor- „ tuus, & inutilis eſt, ut dormiens, & „ nihil videt, quemadmodum & ille, ſed ſomniat, & vana imaginatur. Exper-

pergiſcere itaque, qui dormis, & ſurge à mortuis, & illuſceſcet tibi Chriſtus. Chryſoſt. homil. 18. in epiſtol. ad Epheſ. (Sed nemo reſurgit à morte, ſed nec à ſomno peccati, niſi tu ſuſcites bone Ieſu, reſuſcites Salvator, vitæ author, veniæ largitor.) Author.

781 „Implentur Spiritu ſancto, „qui pſallunt, quemadmodum ſpi„ritu immundo, qui ſatanicas cantiones modulantur. In corde tamen pſallat quiſque Domino, cum intellectu ſcilicet attendens. Qui enim non attendunt temere pſallunt, verba dumtaxat proferentes, corde interea alibi oberrante. Idem ibid. homil. 19. (Hinc Propheta docet: Pſallite ſapienter: fatuè nãque Domini laus voce depromitur, petitio datur, ſi cor non habemus ad Dominum: ſed tu eleves bone Ieſu; ſi ſecus, in terra adhæret.) Author.

782 Dominus Ieſus ieiunia mundana miſeratus, aperuit horrea ſua, & myſteriorum cœleſtium theſauros ſcientiæ, ſapientiæque patefecit abſconditos, ut nulli alimenta deeſſent. Dixit enim ſapientia: Venite edite
pa-

Digitized by Google

panes meos. Et ideo ab illo ſolo dicitur: Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit, qui ſaturatur à Chriſto. Ambroſ. lib. de Ioſeph cap. 7. pag. 2.

783 Qui diſciplinam apprehendit cœleſtem, & mutationem nullam ſuſcipit, nec ullam ſuſtinet adverſitatem, ſed continua tranquillitate fruitur: & omnia deridet, quæ videntur eſſe triſtia. Chryſoſt. homil. 18. ad popul. col. pen.

784 Philoſophiam, quæ eſt ſecundum Deum, tracta, & apprehende virtutem, & nihil eorum, quæ ſunt, aut expectantur, malorum, te poterit contriſtare. Ibidem col. antepenult. [Si enim hanc habeant radicem, ſcilicet, quòd propter Deum nobis inferantur, multam nobis inducent in animo voluptatem: & alios contriſtantes, fient nobis lætitiæ incrementum. Ibidem perpaucis ex propoſito mutatis.

785 Quæro Domine Ieſu ſalutem non ut pœnas vitem, aut in cœlo regnem; ſed ut te in æternum cum illis laudem de quibus ſcriptum eſt: Beati, qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.

Servus

Servus dicit; Vadam ad portas inferi. Mercenarius; Non videbo Dominum Deum in terra viventium. Filius; Pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini. Bernard. ſerm. de Cantic. Ezech. circ. fin.

786 Non facilior, qui fuit iniuriatus ad ſatisfaciendum eſt, rubore, ac dedecore quodam impeditus. Chryſoſt. hom. 61. in Matth. [Idque inter homines natura æquales: & tamen Dominus à ſervo prior petit pacem: Creator creaturam, offenſus offendentem invitat, idque multoties, non ſemel, aut bis: erubeſcamus ergo vocantis, & miſerentis pietatem, ſi vindicantis iuſtitiam formidare negligimus.) Author.

787 „Qui amore ſpiritali diligit, „non quantum redametur inveſtigat: verùm etiam ſi odio habeatur, „ſi contenatur, ſi interficiatur; quoniam ſufficiens ſibi ad amandum „Chriſtus cauſa eſt; perſeverat in amore. Idem ibidem in fin.

788 Conſidera quoniam Dominus Ieſus etiam eos, qui crucifixerũt ipſum, qui ſummo furore adverſus

ipſum inſaniebant, magno ſtudio curare conabatur. Sic enim ad Patrem de illis dicit; Dimitte eis, neſciunt enim quid faciunt. ibid.

789 Venit Sol iuſtitiæ, & cõſummatione paſſionis propriæ revelavit ſui luminis radios, quos retexit omnibus, & vitæ claritatem aperuit æternæ. Ambroſ. enar. 2. in Geneſ.

790 Iam non vitam noſtram, ſed Christum vivimus. Nobis enim vivere Chriſtus, & mori lucrum. Iam non in carne, ſed in fide vivimus „ Chriſti. Concluſus eſt itaque mun„ di dies, noviſſima hora venit Dominus Ieſus, & pro nobis mortuus eſt, & omnes in illo mortui ſumus, ut vivamus Deo. ibid. circ. fin. (Sit frequens hæc conſideratio.) Author.

791 Accedamus ad ſacerdotem novum, ad ſedem gratiæ, viſitatorem animarum noſtrarum, ſacerdotem non ſecundum legem mandati carnalis creatum, ſed ſecundum virtutem inſolubilem electum. ibid. (Cogita Chriſtum Ieſum Sacerdoté magnum.) Author.

792 Ipſe Dominus, & Salvator noſter contumelia affectus, verbera-

tuis, cruci clavis affixus, leniter tulit Iudæorum furorem. Et licèt poſſet de eis vindictam ſumere, nō ſumpſit tamen: ſed virtutem ſuam oſtendit, eò quod cōcuſſit terram, & mortuos ſuſcitavit, & obſcuravit Solem, & noctem ex die fecit. Chryſoſt. ſerm. de manſuetud. col. 5.

793 Manſuetudinem autem, & miſericordiam declaravit, quia nullum ex his, qui impiè agebant, punivit. ibid. (Mirabilia fecit nè à ſua crederetur omnipotentia cecidiſſe: præſertim verò illam exercet, ut ſervet impios ſibi crudelem mortem inferentes: aliter quonam modo terra mota eos non deglutiret? ò inexplicabilem pietatem? quæ talem vicit duritiam, & de tanto ſacrilegio non ſumpſit vindictam? Hoc te Deum eſſe Domine Ieſu mihi præ cæteris adſtruit.) Author.

794 Nullū hoc maius divinæ perſonæ eſt teſtimonium; nihil eſt, quod magis eſſe ultra humana videatur, quàm toto unū ſe obtuliſſe pro mundo, hoc vel ſolo plenè Dominus declaratur. Ambroſ. in Luc. cap7. [Per quem omnia facta ſunt, ipſe traxit

Digitized by Google

exaltatus à terra, ſacerdos Ieſus Chriſtus pro omnibus factus hoſtia, victima, holocauſtum: in creatione omnipotens, miſericors quoque, dum redimit, innoteſcit.) Author.

795 Ovium Ieſu paſcua interna gaudia ſunt ſemper virentis paradiſi: paſcua namque electorum ſunt, vultus præſens Dei, qui dum ſine defectu conſpicitur, ſine fine mens vitæ cibo ſatiatur. Gregor. homil. 14. in Evang.

796 In iſtis paſcuis de æternitatis ſatietate lætati ſunt, qui iam laqueos voluptuoſæ temporalitatis evaſerũt. Ibi hymnidici Angelorum chori. Ibi ſocietas ſupernorum civium. Ibi dulcis ſolemnitas à peregrinationis huius triſti labore redeuntium. Ibi providi Prophetarum chori. Ibi iudex Apoſtolorum numerus. Ibi innume-
„ rabilium Martyrum victor exerci-
„ tus, tanto illic lætior, quanto hìc
„ duriùs afflictus. Ibi Confeſſorum conſtantia, præmij ſui perceptione conſolata. Ibi fideles viri, quos à virilitatis ſuæ robore voluptas ſeculi emollire non potuit. Ibi ſanctæ mulieres, quæ cum ſeculo, & ſexum vi-

cerunt. Ibi pueri, qui hìc annos ſuos moribus tranſcenderunt. Ibi ſenes quos & hic ætas debiles reddidit, & virtus operis non reliquit. ibid.

797 Deſideremus Ieſum, fontem illum, de quo ſcriptura dicit; Quoniã apud te eſt fons vitæ: ipſe enim fons, & lumen eſt, quoniam in lumine tuo videbimus lumen. Si & fons eſt, & ,, lumen eſt, meritò & intellectus eſt, ,, quia & ſatiat animã acidam ſcien- ,, tia; & omnis, qui intelligit, luce ,, quadam non corporali, non carnali, non exteriore, ſed interiore illuſtratur. Auguſt. in Pſalm. 41. col. 2.

798 ,, Vita æterna fons indeficiẽs, ,, qui univerſam irrigat ſuperficiem ,, paradiſi. Nec modò irrigat, ſed ,, inebriat, fons hortorum, puteus ,, aquarum viventiũ, quæ fluunt im- ,, petu de Libano: & fluminis impe- ,, tus lætificat civitatem Dei. Quis ,, verò fons vitæ, niſi Chriſtus Domi- ,, nus? Cùm Chriſtus, inquit, apparuerit vita veſtra; tunc, & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Bernard. ſerm. unic. in Nativit. B. Mariæ.

799 ,, Sanè ipſa ſe plenitudo exi- ,, nanivit, ut fieret nobis iuſtitia, &

,, ſanctificatio, & remiſſio, necdum ,, apparens vita, aut gloria, aut beati- ,, tudo. Derivatus eſt fons uſque ad nos, in plateis derivatæ ſunt aquæ, licèt non bibat alienus ex eis. [Apparuit quoque gratia, & benignitas, qui dat Dominus gratiam, & gloriam: dabit hanc nobis ſeipſum in tempore opportuno, qui tẽpore accepto exaudivit, & adiuvit in die ſalutis: apparebit Sol iuſtitiæ Ieſus Chriſtus ſervos ſuos, amicos iam, hæredes Dei, cohæredes ſuos, ſuæ claritatis radijs illuſtrans, charitate ſua beatificans, æterno calore ſuccendens, ut ſemper amantes, ſẽpiterno perfruantur gaudio.] Author.

800 Qui terrena tranſierit, iam non dicit; Foris pugnæ, intus timores: ſed dicit; Noſtra autem converſatio in cœlis eſt. Tranſi ergo mundum, ut incipias eſſe ſupra mundum: *περᾶσαι* enim tranſire eſt: vel ut dicam expreſſiùs transfretare. Ambroſ. Pſal. 45. verſ. Auferens, &c.

801 Factus eſt Dominus Ieſus Iudæis in parabolam, quia quaſi vilem ſe præbuit, ingerens ſe illis, nec refugiens eorum ſeditiones, & perducens

eos

eos ad tẽpus beneplacitũ ſibi, ut moreretur pro omnibus hominibus, quo illius ſanguine genus hominum mũdaretur. Ambroſ. Pſal. 45. verſ. Poſuiſti nos in parabolam, &c.

802 Bonus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, quia factus eſt ovis epulationis noſtræ. Quæris quomodo factus ſit? Audi dicentem; Paſcha noſtrũ immolatus eſt Chriſtus. Ambroſ. Pſal. 43. verſ. Avertiſti, &c.

803 Conſidera quemadmodum parentes noſtri in figura diripientes agnum manducabant, ſignificantes Domini Ieſu paſſionem, cuius quotidie veſcimur ſacramento. ibid.

804 Metuo futurum iudicium: ideo cruci tuæ configens omnes cõcupiſcentias carnis, tibi convivere, tibi commori, tibi conſepeliri paratus ſum, ut in futuro tibi conſurgere merear. Hieron. Pſal. 118. verſ. Confuge timore, &c. [Facilia dictu, factu difficilia.]

805 Ezechiel iuſſus eſt flere Hieruſalem, & accepit librum in cuius capite ſcripta erant lamentatio, & melos, & væ; duo triſtia, & unum delectabile; quoniam ille ſalvus erit in

futuro, qui in hoc ſeculo plus fleverit. Ambroſ. lib. 2. de pœn. cap. 6.

806 Verum lumen omniũ Chriſtus Ieſus: de quo Ioann. dicit: Erat verum lumen, quod illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundum: quia ipſe eſt, qui illuminat, & corporis oculos, & mentis obtutum. Ambroſ. in Pſal. 37. verſ. Cor meum conturbatum, &c.

807 Nihil ita veſcentis animum roborat, quomodo panis vitæ, de quo ſcriptum eſt; Et panis cor hominis confirmet. Hieron. in Ezech. cap. 4. in fine.

808 Quod ſeverũ in alijs, in Chriſto dulce eſt, in Chriſto ſuave eſt, quia ipſe ſuavis eſt: Denique guſtate, & videte quoniam ſuavis eſt Dominus. Ambroſ. in Pſal. 118. oct. 5. ver. 7.

809 Dulcia iudicia eius confitenti, quia ipſe dicit: Ego ſum, ego ſum, qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero. Dulcia iudicia agenti pœnitentiam, quia ipſe dixit: Gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem iuſtis, qui non indigent pœnitentia. ibid.

K 2 Tu

810 Tu es Deus cordis mei Domine Ieſu: te, cuius pars factus ſum, tam corde, quam corpore toto inceſſanter deſidero: ſic ad te augeſcit affectus meus, ut minuatur ad cætera. Ex Hieron. aliquibus mutatis, in Pſal. 72. verſ. Defecit, &c.

811 Vita noſtra Ieſus Chriſtus eſt. Qui confitetur Ieſum Chriſtum, vitã accipiet in ſecula ſeculorum. Hieron. in Pſalm. 132.

812 Quodcumque facitis referte ad Dominum. Manus leventur: os Chriſtum Ieſum reſonet. Benedicite Domino: & in noctibus levate manus veſtras. Da pauperibus eleemoſynam, & benedic Domino: gratias age Domino, quia tibi dederit unde des fratri, &c. idem in Pſal. 133.

813 Lex oris Dei Ieſus Chriſtus eſt: qui non venit legem ſolvere, ſed adimplere. Quem prævidens Propheta ſuper omnes theſauros concupiſcit: quia non ſolùm amicos diligi, ſed etiam inimicis præcipit ignoſci. Hoc imperavit, docuit, & fecit: nam, cùm adhuc inimici eius eſſemus pro nobis mortuus eſt: ultimum amoris indicium, imò evidens probatio, irre-

Digitized by Google

fragabile teſtimonium: vix enim pro amico quis moritur? Hieron. Pſal. 118. verſ. Bonum mihi lex oris tui.

814 Domine Ieſu Tu dixiſti de te ipſo: Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Ita ergo, te rogamus, præſtes nobis miſericorditer. Sicut in tuo ſenſu viciſti diabolum, ita & in noſtro ſenſu vince diabolum: ut quemadmodum perfectos nos creaſti, perficias, & ſalves nos. Tu enim es creator, tu es magiſter, tu es dominus, tu es & qui pro nobis paſſus es, qui vivis, & regnas in ſecula ſeculorum. Ex eodem Pſal. 108. verſ. Qui aſtitit, &c.

815 Fuſus ſanguis Redemptoris, & deleta eſt cautio debitoris. Ipſe eſt ſanguis, qui pro multis effuſus in remiſſionem peccatorum. Auguſt. ſerm. 48. de verb. Domin. ſecundum Io. col. pen.

816 Ipſe ſe ſeducit, & de morte ſua ludit, qui hoc cogitat; Poteſt mihi extremi temporis indulgentia ſubvenire. Aug. ſerm. 120. de tempor. col. pen.

817 Animæ, & corporis noſtri Ieſus Chriſtus eſt virtus: qui curat ægro-

Digitized by Google

grotos quaſi medicus: confirmat validos quaſi omnium fortitudo. Ambroſ. in pſal. 37.

818 Inclinavit ſe Dominus Ieſus uſque ad mortem, mortem autem crucis: in qua expandens manus ſuas totum orbem, qui erat periturus, erexit, levavit iacentes, atque ad ſe omnium Gentium fidem traxit, dicens homini; Hodie mecum eris in paradiſo. Ambroſ. in pſalm. 43. verſ. Manus tua gentes diſperdidit &c. circa fin.

819 Agnus utique, qui ſedebat in throno Ieſus Chriſtus. Agnus planè totus ſuavis, totus delectabilis, denique totus unctus. Hanc enim interpretationem habet nomen eius, quod eſt Chriſtus. Ex Bernard. ſerm. 3. in vigil. Nativit. *Domini.*

820 Si Deum habuerimus amicum, omnia nobis facilia erunt: & nihil nos in præſenti vita contriſtari poterit, quamvis iniucundum eſſe videatur. Chryſoſt. hom. 57. in Geneſ. col. pen. circ. fin.

821 Sicut oleum accendit lumen lucernæ, ita & bona opera excitant fidem cordis, & dant confidentiam

Digitized by Google

animæ apud *D*eum orandi. Chryſ. hom. 15. in Matth. ex 55.

822 Oculos Dei vitare nemo poteſt: quia non ſolum in cubiculo videt, ſed & intima cordis tui. Ex Auguſt. in pſal. 93.

823 Quis cōpenſabit Dominum pro ſervis mori dignatum? & hoc pro quibus? pro ſceleratis, pro impijs. Quid tibi Domine retribuet opus tuum bonum à te factum, propria voluntate perverſum, ſed tua miſeratione reparatum? Ex Aug. ſerm. 3. poſt Dominic. 1. palmar.

824 Ieſus Chriſtus dominus, & ſalvator noſter, ideo natus eſt, ut doceret; ideo mortuus eſt, ut ſanaret, Crux fuit mortifera Ieſu Chriſto, ſalutifera Chriſtiano. Aug. ſer. 138. de tempor.

825 Salus tua Ieſus eſt, Ieſum ergo cogita, accipe calicem ſalutaris eius, qui ſanat languores tuos: hanc ſalutem, ſi volueris, obtinebis. Honores, & divitias cùm quæſieris, non continuò, ſi volueris, habebis.

826 Ieſus redimit de corruptione vitam tuam. Ibi ſanabitur omnis languor

guor tuus, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem. Redempta est enim vita tua de corruptione, iam ſecurus eſto. &c. Auguſt. in pſal. 103. col. 7.

827 Omnis amor aut aſcendit, aut deſcendit. Deſiderio enim bono levamur ad Deum, & deſiderio malo ad ima præcipitamur. Aug. in pſal. 122.

828 Non iſta terra requirenda, quæ arida eſt, ſed illa, quæ Ieſu Chriſti confirmatur alimentis, quæ ſub imperio conſtituta regis æterni ſanctorum incolatibus frequentatur. Ambroſ. lib. 6. in Luc. cap. 9.

829 Faciamus nos dignos videri, quorum in medio Ieſus Chriſtus ſit. Vbi enim pax, ibi Ieſus: quia pax Ieſus. Vbi iuſtitia, ibi Ieſus: quia Ieſus iuſtitia. Ambroſ. lib. 3. epiſt. 25.

830 Sit in medio noſtrùm, ut videamus eum, ne dicatur & nobis; Medius autem veſtrùm ſtat, quem vos non videtis. Fide illum cernimus; devotione conſpicimus. Idem ibidem.

831 Qui videt Ieſum, cœli ei aperiun-

riuntur, ſicut aperti ſunt, Stephano dicenti; Ecce video cœlos apertos, & Ieſum ſtantem ad dexteram Dei. Idē ibid.

832 Stabat Ieſus quaſi advocatus, ſtabat quaſi ſolicitus: ut Stephanum athletam ſuum certantem iuvaret: ſtabat quaſi paratus, ut coronaret ſuū martyrem: ſtet igitur & nobis, ut eū non timeamus ſedentem. *Sedes* enim iudicant, ſicut Daniel dicit; Throni poſiti ſunt, & libri aperti: & antiquus dierum ſedit. Idem ibid.

833 Gaudium noſtrum, pax noſtra, requies noſtra, finis omnium moleſtiarum non eſt niſi Deus. Beati, qui convertunt cor ad ipſum. Aug. in pſal. 84. col. 11.

834 Æquitas dilexit te Domine, Ieſu: h.e. non flexuoſa itinera te ſequuntur, ſed ſolus ad te poteſt iuſtitiæ trames pervenire. Ambroſ. in pſ. 118. oct. 2. verſ. In quo corrigit.

835 Si non manſerimus in domino Deo Ieſu ſalutari noſtro, cademus. Ipſe autem ſi in nobis non mãſerit, non ideo domum perdidit, novit ille manere in ſe, qui numquam de-

deſerit ſe. Abſit autem ab homine, ut maneat in ſe, qui perdidit ſe. Ergo nos in illo manemus indigentia, ipſe in nobis manet miſericordia. Aug. ſer. 48. de verb. Domini ſecundum Io: to. 10.

836 Ieſus princeps tuus humilis, & tu ſuperbus? Caput humile, & membrum ſuperbum? Abſit. Non vult eſſe de corpore capitis humilis, qui amat ſuperbiam. Auguſt. ſerm. 53. de verb. Domini ſecundum Io. in fine.

837 Quocumque ieris, Ieſus videt te, qui fecit te, & perditum redemit te, & pro mortuo mortuus eſt pro te. Tu te non cognoſcis, ſed ille à te oculos non avertit, non ad adiuvandum, ſed ad puniendum. Ex Aug. ſer. 18. de verbis Apoſt. (Vide, & conſidera verba Sancti, quæ ibi præcedunt, & ſequuntur, ut rectè hanc doctrinam intelligas.)

838 Onus tuum, pondus tuum, tua negotia, tuas neceſſitates, & moleſtias proijce, repone ſuper Deum, Deo committe, conquieſce in ipſius providentia: iuxta illud Pſalmi 55. *Iacta ſuper Dominum curam tuam:* & Apoſtoli Petri dicentis; Omnem veſtram

Digitized by Google

ſtram ſolicitudinem proijcientes in Deum, quoniam ipſi eſt cura de vobis. 1. Petri 5.

839 Lauda anima fidelis Deum promittentem, lauda vocantem, lauda exhortantem, lauda adiuvantem, & intellige, in qua tribulatione poſitus es; invoca, erueris, glorificaberis, permanebis. Sic enim ipſe dixit, Invoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me. Pſal. 49.

840 Peccaſti hodie? inveteraſti mentem tuam? ne deſperes, neque decidas: ſed renova ipſam reſipiſcentia, lacrymis, confeſſione, bonorũque operum ſtudio. Hoc autem facere nunquam intermittas. Chryſoſt. hom. 2. in epiſt. ad Rom.

841 Si noſtra conſideremus merita, deſperandum eſt. Si tuam autem clementiam, qui flagellas omnem filium, quem recipis, audemus preces fundere. Hieron. in Eſai. cap. 64.

842 Confitentur homines cùm laudant Deum; confitentur homines cùm accuſant ſeipſos, & nihil dignius facit lingua. Aug. in pſal. 94.

843 Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exterio-

Digitized by Google

riores. Matth. 22. Tunc coactus in tenebras exteriores mittitur, quia nunc in interioribus excœcatur voluntariè. Greg. lib. 25. moral. cap. 11. circa fin.

844 Si tentationes duræ ſunt in hoc ſeculo, Ioſeph in carcere, Ieſum in cruce cogitate. Aug. in pſal. 104. Repetitio expoſitionis in fin.

845 Sciens Ieſus, quia iam omnia conſũmata ſunt, dicit; Sitio, Ioan. 19. Tunc itaque ſitiebat, quando de latere ſuo reſtinctura ſitim omnium vivæ aquæ fluenta fundebat. Ambroſ. in pſalm. 61. verſ. Veruntamen &c.

846 Nihil ita propriè quemdam terris repræſentat cœleſtis habitationis ſtatum, ſicut alacritas laudãtium Deum. Bern. ſerm. 11. ſuper Cant.

847 Laudabas, cùm quæreres Deum; ſilebis, cùm inveneris? nullo pacto, non eris ingratus. Debetur honor, debetur reverentia, debetur magna laudatio. Attende te, qui ſis; terra, & cinis; vide quid meruerit, quis videre. Vide qui quid, homo Deum. Agnoſco non meritum hominis, ſed miſericordiam Dei: lauda

ergo

ergo miſerantem. Aug. Enarrat. in pſal. 99. in fin.

848 Laudo Deum, & in ipſa laude gaudeo. Ipſius laude gaudeo, quẽ laudare non erubeſco. Laudetur itaque Deus voluntate, ametur charitate; gratuitum ſit & quod amatur, & quod laudatur. Quid eſt gratuitum? In ſe, propter ſe. Aug. in pſalm. 53. verſ. Sacrificium laudis &c.

849 Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas, labia mea laudabunt te Pſal. 62. Hoc eſt; Non te laudarent labia mea, niſi me præcederet miſericordia tua. Dono tuo te laudo. Sic benedicam te in vita mea. Ideſt ut miſericordiæ tuę tribuam vitam meam, in qua te laudo non meritis meis. Aug. ibid.

850 *Domine adauge nobis fidem* &c. O fides theſauris omnibus opulentior, ò vulnerum noſtrorum peccatorumque medicina præſtantior. Ambroſ. lib. 2. de fide cap. 3. [Clamemus itaque non clamore vocis, ſed cordis affectu; Quæſita iam primùm fides in corde radices agat.]

851 Laus Dei à corde Chriſtiani recedere non debet; non ut laudet in

pro-

proſperis, & maledicat in adverſis; ſed, quemadmodùm Pſalmus ille prę-ſcribit; Benedicam Dominũ in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Gaudes, agnoſce Patrem blandientem: tribularis, agnoſce Patrem emendantem &c. Aug. in pſal. 54.

852 Repleatur os meum laude, ut cantem laudem tuam, tota die magnitudinem tuam Pſal. 70. Ideſt, in omni tempore. In proſperis, quia cõſolaris; in adverſis, quia corrigis: antequam eſſem, quia feciſti: cùm peccaſſem, quia ignoviſti: cùm converſus eſſem, quia adiuviſti: cùm perſeveraſſem, quia coronaſti. Aug. ibid.

853 Breve magiſterium eſt, ut ſemper laudes Deum, veroque corde non falſo dicas; Benedicam Dominum in omni tempere: ſemper laus eius in corde meo. Breve myſterium eſt, ut ſcilicet noveris eum miſericorditer dare, cùm dat, miſericorditer auferre, cùm tollit. Sive ergo in donis eius, ſive in flagellis eius lauda eum. Laus flagellantis medicina eſt vulneris. Aug. in pſal. 144.

854 Laudate nomen eius, ideſt Dei, quoniam ſuavis eſt Dominus

Pſal.

Pſal. 99. Laudatio noſtra quaſi manducatio erit: quantum laudamus, tãtum vires acquirimus, & tantum dulceſcit, quem laudamus. Auguſt. ibid.

855 Si ad amorem Dei pigri non ſumus, adiuvat ipſe, quem amamus Dominus noſter Ieſus Chriſtus: qui vivit, & regnat cum Patre in unitate Spiritus ſancti Deus in ſecula ſeculorum. Amen. Gregor. homil. 22. in Evang.

856 Veniat in nobis ignis conſumens, exurat in nobis plumbum iniquitatis, ferrum peccati, faciatque nos aurum ſyncerum: urat, quæſo renes noſtros, & cor noſtrum, ut bona cogitemus. Ambroſ. in pſal. 118. oct. 3. verſi Retribue &c.

857 Spiritus ſancti gratia, cùm menti illapſa eſt, eamque irrigarit, in omni fonte uberiùs ſcaturit, nũquam vacuatur, nunquam ſtat. Chryſoſt. hom. 50. in Ioan.

858 Prę nimia noſtra malignitate facimus immẽſæ liberalitatis Dei dona cohiberi: & ſi nihil de redundante illo fonte benignitatis haurimus, noſtra eſt omnis culpa, non fontis.

Eſt

Eſt enim Deus inſtar fontis perpetuò fluentis. Chryſoſt.hom. 23.in Matth. & Baſil.hom.29.

859 Fons iſte, qui Deus eſt, fons vitæ; hìc deſideratur, ibi capitur, eſt in cœlis: hìc ſuſpiratur, ibi gaudetur: hìc oratur, ibi laudatur: hìc gemitur, ibi exultatur. Ibi convivæ, hoc eſt, Sancti epulantur, & exultant in conſpectu Dei, & delectantur in lætitia. Pſal.67. & Auguſt.in pſal.83.

860 In regione illa viventium, ubi æterna eſt requies beatorum, quanto plus vident, plus intelligunt, plus agnoſcunt; tanto plus diligunt, tanto magis laudant, tanto ampliùs admirantur. Bernar.ſerm.1. in Dedic. Eccleſiæ.

861 Quis poteſt laborare, ſequens Ieſum, cùm ipſe dicat; Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego vos reficiam? Sequamur ergo Ieſum ſemper, nec déſinamus. Quòd ſi ſemper ſequamur, nunquam deficimus: dat enim vires ſequentibus ſe. Ambroſ.Epiſt.21.lib.3.

862 Sequimur te Domine Ieſu: ſed, ut ſequamur, accerſi: quo ſine, nullus aſcendit: tu enim via es, veri-

tas,

tas, & vita: poſſibilitas, ſedes, præmium; ſuſcipe nos quaſi via; confirma quaſi veritas; vivifica quaſi vita. Idem Sanctus lib. de bono mortis. cap. 12.

863 Sequitur autem Chriſtum, qui inſiſtit mandatis eius, qui per viam doctrinæ eius ambulat, qui per veſtigia, & per vias eius currit, qui imitatur illa, quæ Chriſtus fecit, & docuit: ſicut & Petrus Apoſtolus ſuadet, & præcipit, dicens; Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia eius. Chryſoſt. hom. 7.

864 Felix anima, quæ in Chriſti recumbit pectore, & inter Verbi brachia requieſcit. Bern. ſerm. 51. ſuper Cant.

865 Qui Chriſtum diligunt, ſequuntur eum, charitatis vinculis colligati. Hieronym. in epiſt. Ad Epheſ. cap. 4.

866 Iuſtum eſt, ut Deo ſuo omnis homo ſerviat; creatura obediat Creatori, Domini ſui voluntatem ſervus non tranſgrediatur. Gregor. in pſal. 7. Pœnit.

867 Omnium Domine, & effector,

ctor, ac præcipuè huius figmenti? Deus tuorum hominum, & Pater, ac gubernator. O vitæ & mortis arbiter. O noſtrarum animarum cuſtos, & benefactor. Nanzianzenus Orat. 10. circ. fin.

868 Quid eſt, quæſo, pulchritudine divina admirabilius? Quæ notio Dei maieſtate excogitari gratioſior poteſt? Felix anima, quæ verè ſynceréque dicere poſſit; Ego amore languco; Et; Vulnerata charitate ego sũ. Inexplicabiles prorſus, nec ulli pro dignitate enarrabiles, quæ è fulgurãtiſſimo fonte illo divinæ pulchritudinis intermicãt, ac proſiliunt fulgetrę. Baſil. in regul. fuſ. diſp. ad interrog. ſecundam.

869 Fruſtra mandata Dei cuſtodiuntur memoria, niſi cuſtodiantur & vita: ideo legimus; In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam, non in exercendo memoriam, ſed in cuſtodiendo ſermones tuos. Aug. in pſal. 118. Conc. 5.

670 Nolite deſperare: omnipotenti medico nullus languor inſanabilis occurrit: cœci eſtis, accedite ad Deum, & illuminamini: ægroti eſtis, acce-

accedite ad eum, & ſanamini: & qui ſani eſtis ei gratias agite; & qui ęgrotatis ad eum ſanandi currite: dicite omnes, venite adoremus, & proſternamur ei, & ploremus coram Domino, qui fecit nos, & homines, & ſalvos. Aug. ſerm. 11. de verbis Apoſt. (Iuxta illud Pſalmiſtæ; Salvos nos fac domine Deus noſter, & congrega nos de nationibus; ut confiteamur nomini ſancto tuo: &c.)

871 Infige pectori tuo, & cordi tuo hoc ſignaculum Crucifixi, infige & brachio tuo, ut opera tua peccato mortua ſint. Nihil in his criminis reviviſcat, nihil erroris reſurgat. Ambroſius.

872 Fidelis homo eſt, credens promittenti Deo, fidelis eſt Deus exhibens, quod promiſit homini. Teneamus fideliſſimũ debitorem, quia tenemus miſericordiſſimum promiſſorem. Auguſt. in pſal. 32.

873 *Duo* Euchariſtiæ Sacramento operatur in nobis, ut videlicet, & ſenſum minuat in minimis, & in gravioribus tollat omninò conſenſum. Bernard. ſer. in Cœna Domini.

874 Talis debet eſſe anima, quæ ver-

verbum Chriſtum eſt receptura, ut moriatur mundo, & conſepeliatur in Chriſto. *Sic* enim Chriſtus invenitur, & tale ſibi quærit hoſpitium. Ambroſ. lib. de Iſaac &c. cap. 6.

875 Menſa *D*ominica animæ noſtræ vis eſt; nervi mentis fiduciæ vinculum, fundamentum, ſpes ſalus, vita noſtra. Chryſoſt. hom. 24. in epiſt. 1. ad Cor.

876 Habet in ſe remunerationem ſuam, qui ſequitur Ieſum, & in ſuo affectu præmium, quamvis dura ſuſtineat, &c. Ambroſ. lib. 1. de Iacob &c. cap. 7.

877 Plorat in gemitu, qui orat. *D*ulciores ſunt lacrymæ orantium, quàm gaudia theatrorum. Auguſt. in pſal. 127.

878 Eſt pijs affectibus quædam etiam flendi voluptas, & plerumque gravis lacrymis, & vaporat dolor. Ambroſ.

879 Nonne plerumque orantibus nobis omnia viſcerum ſuccutiũtur occulta, ad memoriam gaudij illius, quod eſt in Hieruſalé, quæ ſurſum eſt, quæ eſt mater noſtra; & lacrymarum unda meditantium vul-

tus ſuperfunditur. O ſi duraret! Si non propoſuero Hieruſalē in principio lætitiæ meæ. Verè in principio lætitiæ, quia finis illic repoſitus eſt. Bernard. ſerm. 2. de verb. Apoſtol. Nō eſt regnum Dei eſca, & potus.

880 Mens noſtra à Spiritu ſancto illuſtrata ad Filium reſpicit, & in illo, veluti imagine, Patrem contemplatur. Rurſus in Filio videbimus Spiritum Sanctum, iuxta illud; In lumine tuo videbimus lumen. Baſil. Epiſt. 73. col. fin. & Hieronym. in Abacuc, col. penult.

881 Quanto magis ſuavia ſunt, quæ iubet, qui iuvat, tanto magis ea ſcrutatur amans, ut cognita faciat, & faciendo cognoſcat: perfectiùs enim cognoſcuntur, cùm fiunt. Auguſt. in Pſal. 118. conc. 17.

882 Spiritus Ieſu ſpiritus bonus, ſpiritus ſanctus, ſpiritus rectus, ſpiritus dulcis, ſpiritus veritatis, quicquid in hoc ſeculo nequam videtur difficile, & anguſtum, leve facit, & latū: opprobrium gaudium indicat, deſpectionem exultationem eſſe perſuadet. Et felix prorſus eſt illa conſcientia, quæ pro Chriſto ſuſtinet opprobrium.

brium.

brium. Bernard. ſerm. 3. de Aſcenſ. Domini circ. fin. & Hieronym. in Herem. cap. 15.

883 Duas alas habet oratio noſtra, contemptũ mundi, & afflictionem carnis: nec dubium quin cœlos penetret, & dirigatur, ſicut incẽſum, in conſpectu Dei. Bernard. ſerm. 3. in Epiphan. Domini.

884 Omnium quidem Deus eſt, ſed eorum propriè dicitur, qui eum diligunt, qui eum tenent, qui illum poſſident, qui illum colunt. Tanquã de domo ipſius magna ſunt familiæ eius redemptæ magno ſanguine unici Filij. Auguſt. in Pſal. 55. verſ. in quacunque die, &c.

885 Si acriter ab hominibus tribulamur, & timor, & hebetudo mentis cadit ſuper nos, dicat unuſquiſque Domino; Deus meus es tu. Magna quippe vox orationis iſta eſt, movet fiduciam. Numquid illorum non eſt Deus? Cuius enim non eſt Deus, qui eſt verus Deus? Sed tamen propriè eorum eſt, qui eo fruuntur, qui ei ſerviunt, qui libenter ſub ipſo ſunt. Auguſt. in Pſal. 139. verſ. præcit. *Dixi Domino*, &c.

886 Quicquid agendum ſit, quicquid declinandum, quicquid tolerandum, quicquid optandum, tu es Domine ſpes mea. Sit ſpes noſtra Deus noſter: qui fecit omnia melior eſt omnibus: qui pulchra fecit, pulchrior eſt omnibus: qui fortia, fortior eſt, qui magna, maior eſt; quicquid amaveris, ille tibi erit. Diſce amare in creatura Creatorem, & in factura Factorem: ne teneat te, quod ab illo factũ eſt, & amittas eum, à quo & ipſe factus es. Bernard. ſerm. 9. in Pſal. Qui habitat. Et Auguſt. in Pſal. 39.

887 Maior eſt dilectio Dei in nos, quàm noſtra in Deum. Noſtra dilectio pennæ noſtræ ſunt; ſed ille ambulat ſuper pennas ventorum. Vides, quàm verum dixerit ille, qui dixit; Dominus ſolicitus eſt mei. Pater, ut ſervũ redimat, Filio non parcit, Filius ſe ipſum libentiſſimè tradit, Spiritum ſanctum uterque mittit, & ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. O duri, & indurati, obdurati filij Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro vilibus ſarcinulis,

Digitized by Google

tam pretioſas merces expendit. Non enim corruptibilibus auro, vel argento redemit nos, ſed pretioſo ſanguine ſuo, quẽ effudit abundanter; quia largiter undę ſanguinis de corpore Ieſu per quinque partes emanaverũt. Auguſt. in Pſal. 104. & Bernard. ſer. 2. in die Pentec. cir. fin.

888 Peccatum tuum ſit ante te, ut non ſit ante Deum, & tu noli eſſe ante te, ut ſis ante Deum Auguſt. in Pſal. 122. iuxta illud: Peccatum meũ contra me eſt ſemper: &; Proieciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea.

889 Apoſtolus dicit; Quæ in cœlis eſt Hieruſalem, libera eſt, &c. Docemur itaque eſſe quandam cœleſtẽ civitatem Sion, & Hieruſalẽ nominatam, non lapidum ſplendoribus relucentem, ſed choris Sanctorum illuſtrem. Baſil. in Pſal. 86.

890 Non eſt, quò fugiatur à Deo, niſi ad Deum. Si vis evadere iratum, fuge ad placatum. Auguſtinus in Pſal. 70.

891 Chriſtum induitur, qui, per fidem renatus in Chriſto, æmulus eſt vitæ, quam tradidit Chriſtus. Am-

 broſ.

Digitized by Google

broſ. in Epiſt. ad Epheſ. cap. 4.

892 Omnia Chriſtus eſt nobis. Coloſſ. 3. Si vulnus curare deſideras, medicus eſt: ſi febribus æſtuas, fons eſt: ſi gravaris iniquitate, iuſtitia eſt: ſi auxilio indiges, virtus eſt: ſi mortem times vita eſt: ſi cœlum deſideras, via eſt: ſi tenebras fugis, lux eſt: ſi cibum quæris, alimentum eſt. Ambroſ. lib. 3. de Virg. tom. 4. pag. 370.

893 Nos autem populus tuus, & oves paſcuæ tuæ ſequamur te bone Ieſu per te, ad te: quia tu es via, veritas, & vita: via in exemplo veritas in promiſſo, vita in pręmio. Bernardus ſer. 2. de Aſcenſ. Domini. in fine.

894 Per Ieſum Dominum, & in Ieſu expectatio nobis omnis in Deũ eſt. Hilarius in Pſal. 68.

895 Effundite coram illo corda veſtra, ſuadet Propheta; Deus adiutor noſter in æternum. Adiutor in opportunitatibus in tribulatione. Effundamus itaque ſuper nos animas noſtras, confiteamur in lacrymis, gemamus in confeſſionibus, in miſeriis ſuſpiremus. Quicquid adeſt nobis, præter Deum noſtrum, non eſt dulce. Nolumus omnia, quæ dedit, niſi det

ſe

ſe ipſum, qui omnia dedit. Auguſt. in Pſal.85.

896 Iudæorũ populo ſitienti ſanguinem Salvatoris legimus dictum à Pontio Pilato præſide; Ecce homo. Hoc eſt; Si regi invidetis, iam parcite, quia deiectum videtis, flagellatus eſt, ſpinis coronatus eſt, ludibrioſa veſte amictus eſt, amaris convicijs illuſus eſt, alapis cæſus eſt. Auguſtinus tract. 116. in Ioannem.

897 Vitæ ſtudijs, & exercitijs aſſimilatur anima, & qualia facit, talis etiam formatur, & eiſdem configuratur. Baſil. Hom. 22.

898 Præſule Domino, & nobis aſſiſtente, omne certamẽ poſſumus ſuſtinere. Si autem Dominum negligamus, & longè nos faciamus à Domino, facimus nobis adverſariũ fortiorem. Ambroſ. in Pſal. 43. Memores ſimus, quòd qui eramus longè, facti ſumus prope in ſanguine Chriſti; caveamus, ne iterum per prava opera elongemur ab eo, qui prope eſt invocantibus eum, ſed invocantibus eum in veritate.

899 Sicut mors finis eſt peccatorum, ita & charitas; quoniam qui

Digitized by Google

diligit Dominũ, peccare deſinit. Ambroſ. lib. de Iſaac cap. 8.

900 Ferãt Chriſti ſarcinã, qui volunt eum ſequi, & invenient, quàm ſit levis, quàm iucunda, quàm rapiẽs in cœlum, & à terra eripiens. Aug. in Pſal. 59.

901 Præclarũ etiam humeris ſanctificari, ac purgari, ut Chriſti crucẽ tollere poſſint, quam non facilè quilibet ferre poteſt. Nazianz. orat. 40. num. 43.

902 Doce me (crebrò repetat vir ſpiritualis) ut faciam voluntatem tuã Domine: quia Deus meus es tu, Pſ. 142. O confeſſio, ò præſcriptio: quoniam tu es Deus meus. Ad alium curram refici, ſi ab alio factus ſum. Tu es totum meum, quia tu es Deus meus. Auguſt. in Pſal. præcit.

903 Sicut panis quem quotidie edimus, vita eſt corporis: ita panis Euchariſticus superſubſtantialis vita eſt animæ, & ſanitas mentis. Cyprianus de Cœna Domini.

904 Si mercedẽ amamus, in opere non deficiamus, & in æternum cum Chriſto regnabimus. Auguſt. ſerm. 113. de tempore.

Bonus

905 Bonus fons Dominus Ieſus Chriſtus, qui nos de huius vitæ refrigeravit incendio, & inundatione ſua ariditatem noſtri pectoris ſuperavit. Auguſt. ſer. 92. de tempore.

906 Plenum prorſus omni ſuavitatis dulcedine videre hominem hominis conditorem. Bernard. ſerm. 20. ſuper Cant.

907 Surſum cor, ſurſum cogitationem, ſurſum amorem, ſurſum ſpē: Auguſt. in Pſal. 90.

908 Miſſus eſt Spiritus ſanctus, ut amorem faceret, & ſolveret à timore. Timor legem non implebat, amor implevit. Timuerunt homines, & nō impleverunt; amaverunt, & impleverunt. Auguſt. in eodem Pſal.

909 Verè ſuſcepimus, ò Deus, miſericordiam tuā in medio templi tui. Pſal. 47. Quæ enim maior miſericordia, quàm quòd Chriſtus Ieſus pro noſtris flagitijs ſe tradidit immolandum, ut ſanguine ſuo mundum lavaret, cuius peccatum nullo alio modo potuiſſet aboleri. Ambroſ. in pſal. & verſ. præcit.

910 Aderit nobis *Deus*, cui modò ſuſpiravimus, quoniam videbimus eū

ſicuti eſt. Ibi totum negotium noſtrũ non erit, niſi laudare, & frui *Deo*. Auguſt. in pſal. 86.

911 Signaculum Chriſti in fronte eſt, ſignaculum in corde: in fronte, ut ſemper confiteamur: in corde, ut ſemper diligamus: in brachio, ut ſemper operemur. Ambroſ. lib. de Iſaac, &c. cap. 8.

912 Vita noſtra modò ſpes eſt, vita noſtra poſtea æternitas erit. Vita vitæ mortalis, ſpes eſt vitæ immortalis. Auguſt. in Pſal. 103.

913 Sicut accepiſtis Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, in ipſo ambulate, radicati, & ſuperædificati in ipſo, & confirmati in fide, ſicut & didiciſtis, abundantes in illo in gratiarum actione. Coloſſ. 2.

914 Contemplativæ quidem vitæ uniformis perfectio eſt, exutam mentem à cunctis habere terrenis, eamq; quantum humana imbecillitas ſinit, unire cum Chriſto. Beda in Luc. cap. 11. Ex Hieronymo tamen in Ieremiã cap. 3.

915 Charitas Deus meus, mel dulce, lac niveum, cibus eſt grandium, fac me creſcere in te, ut ſano palato

poſ-

poſſis manducari à me.

916 Impoſſibile eſt in hominis anima aliquam à tentationum flatibus non excitari commotionem. Baſilius in Pſalm. 61. (Oremus itaque Dominum, & affectuosè, quantum ipſe côceſſerit fons perennis miſericordiæ, & pietatis, ut eripiat nos à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate: alîter quis ſubſiſtere valeat, quis reſiſtere impulſori diabolo, impulſori mundo, impulſori denique ſibiipſi, à concupiſcentijs ſuis abſtracto, & illecto?)

917 Renunciatio eſt cordis ab humano vivendi ritu ad eum tranſcriptio, qui in cœlis, adeo ut iure optimo dicere poſſimus; Noſtra autem converſatio, ſive municipatus in cœlis eſt. Baſilius in regul. fuſ. diſput. reſp. ad interrog. 8.

918 Tu Domine (quia Deus ſalutis meæ es) curas, & non pollueris, adiuvas, & non contaminaris: manus tua non perdere, ſed ſanare conſuevit: ſordent hominibus vulnera mea, quæ pietati tuæ putavi eſſe reſeranda. Ex Ambroſ. in Pſal. 37. circ. fin.

919 Sancta anima neſcit aliud de-

ſiderare, niſi ſponſum, qui eſt Chriſtus Ieſus: illum concupiſcit, illum deſiderat, in illum totis intendit viribus, illum gremio mentis fovet, illi ſe aperit, & effundit; & hoc ſolùm veretur, ne illum poſſit amittere. Ambroſ. in Pſal. 118. oct. 11. verſ. primo.

920 Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius. Nullam meã agnoſco, ſolius tuæ iuſtitiæ memorabor. A te habeo quicquid boni habeo: quicquid autem mali habeo, à me habeo. Non meritis ſupplicium reddidiſti, ſed gratiã gratis impertijſti. Auguſt. in Pſal. 70.

921 Conſiderans vitam meã præteritam, video quid mihi debebatur, & quid acceperim pro eo, quod mihi debebatur. Debebatur pœna, ſed reddita eſt gratia, debebatur gehenna, data eſt vita æterna. Auguſt. ibid.

922 Salutare Dei nobis Chriſtus Ieſus frequentiùs occurrat. Ieſum ſe concupijſſe iuſti antiqui veraciſſimè confitentur: ipſum concupivit Eccleſia venturum de viſceribus matris: ipſum concupiſcit Eccleſia venturũ ad dexteram Patris. Aug. in Pſal. 118. circ. fin.

Quis

923 Quis me conſolabitur Domine Ieſu, quia te non vidi in cruce ſuſpenſum, plagis lividum, pallidum morte, quia non ſum crucifixo compaſſus, obſecutus mortuo, ut ſaltem lacrymis meis loca illa vulnerum delinirem? Bern. ſerm. 2. in Aſcenſion. Domini. [Sed memor ero reſurrexiſſe te Dominum meum, aſcendiſſe ad cœlos, ſedere ad dexteram maieſtatis in excelſis, inde venturum cum gloria, ut Electos tuos perducas in lætitia, (ut ſint tecum in æternum) ad cœleſtia regna.)

924 Sicuti mors exterior ab anima dividit carnem: ita mors interior à Deo ſeparat animam. Gregor. lib. 9. Moral. cap. 46.

925 Si fortis es, contemne mortem: ſi imbecillis es, fuge. Sed nemo poteſt fugere mortem, niſi vitam ſequatur. Vita tua Chriſtus eſt, ipſa eſt vita, quæ mori neſcit. Itaque ſi volumus mortem non timere, ſtemus ubi Chriſtus eſt, ut & de nobis dicatur verè; Sunt aliqui hic ſtantes, qui non guſtabunt mortem. Luc. 7. Non ſatis eſt ſtare, niſi ubi Chriſtus eſt, ſtetur. Soli enim non queunt guſtare mor-

mortem, qui poſſunt ſtare cum Chriſto. Ambroſ. in Luc. cap. 19.

926 Nos (ò Ieſu bone) fecimus chirographum mortis, tu ſcripſiſti chirographum vitæ (Coloſſ. 2.) ergo non confundas ab expectatione ſua ſervulum tuũ, quia in te ſpero (Pſal. 118.) Spes enim non confundit (Roman. 5.) Ambroſ. in Pſ. 118. octon. 20.

927 Non erubeſcet, qui ſperat in Chriſtum. Ideoq; qui bene ſperat, dicit; In te confido, non erubeſcam. Et bene ait; Confido. Robur enim ſpei noſtræ, & quædam ſperantis auctoritas confidentia eſt. Spera igitur ſemper, & nemo te ab expectatione confundit. Expectatio noſtra, vita æterna eſt. Expectatio noſtra eſt regnum Dei, Angelorum conſortium, benedictiones ſunt ſpiritales. Ambroſius ibidem.

928 Cùm potes, ore confitere ad ſalutem: cùm autem non potes, corde crede ad iuſtitiam: corde laudas, corde benedicis, corde in ara conſcientiæ victimas ſacras impenis, & reſpondetur tibi; Pax in terra hominibus bonæ voluntatis. Auguſtin. in Pſalm. 134.

Ipſe

929 Ipſe Iacob (cuius eſt Deus adiutor eius) mutato nomine vocatus eſt Iſrael, utinam & nos ſequentes ſimus Iſrael. Quid enim interpretatur Iſrael? Videns Deum. Omnes ergo cives illius civitatis, videndo Deum, gaudent in illa magna civitate, & ampla, & cœleſti, ſpectaculum eis Deus ipſe eſt. Auguſt. in Pſal. 146. [Ad quod divinum ſpectaculum aſpirans, & inhians Paulus, ſpectaculum fieri huic mundo, & Angelis, & hominibus, non timuit.]

930 ,, Myſticum caput Chriſtus ,, eſt, quia omnia in ipſo conſtant, & ,, ipſe eſt caput corporis Eccleſię: hoc ,, capite cuſtodito vita integra, ſalus ,, tuta eſt. Nemo enim poteſt peri- ,, re, cui non ſublatus eſt Chriſtus. ,, Summa eſt ſtudij noſtri, (vel eſſe ,, debet) ſumma negotij, ſumma ſpei, ,, ſumma virtutum. Ambroſ. in Pſal. ,, 118. enarratione in octonar. 20.

931 Ieſus Chriſtus Dominus via, veritas, & vita. Via ſcilicet converſationis ſanctæ, veritas doctrinæ divinæ, & vita beatitudinis ſempiternæ. Leo Magnus ſerm. 2. de Reſurrect. Domini cap. 1.

Cum

932 Cùm ad Chriſtum Ieſum (ducem, præceptorem, ac regem noſtrũ) pervenerimus, quo ultra tendamus non habemus, ipſe curſus noſtri finis dicitur, non qui conſumit, ſed qui perficit. Auguſt. in Pſal. 45. [Ipſe eſt luctæ noſtrę agonotheta, & bravium; ipſe meta noſtris cordibus, lacrymarum gaudium, dulce vitæ præmium. Quando cum eo fuerimus, non erit ampliùs luctus, neque clamor, ſed nec ullus dolor: ceſſabit vox noſtra à ploratu, & oculi noſtri à lacrymis: omnia lęta erunt, cuncta hilaritate plena, cordis æterna quies, exultatio in Domino ſempiterna. Author.]

933 „Quid in incertum tibi dies, „& annos numeras? Tranſit hora, „tranſit & pœna: nec accedunt ſibi, „ſed potiùs & ſuccedunt. Non ſic „gloria, non ſic remuneratio, non „ſic merces ipſa laboris: neſcit vi„ciſſitudinem, neſcit finem; manet „tota ſimul, & manet in æternum. Bernard. ſerm. de Fallacia præſentis vitæ.

934 O validum ſcutum, circumſpectæ munitionis ſilentium. O fidiſſimum ſtabilitatis fundamentum: in

quo

quo ſi quis potuerit ſtare, lubricum verbi timere non poſſit. Ambroſ. in titul. Pſal. 38. [Magnus Domini favor, ut priùs quis cogitet, deinde loquatur: &, agitato præſertim animo, cohibeat omninò ſermonem, ne proferat, quæ non oportet. Vtinam mihi miſero gratia hæc à largitore donorum Deo miſericorditer conferatur.]

935 Toto corde, & totis viribus diligamus illam pulchritudinem, cuius deſcriptionem, exemplumque, & interpretationem humana non invenit cogitatio. Talis enim eſt ſponſus, qui amantibus viciſſim reddat deſiderium, ita dicens in perſona Sapiētiæ; Ego diligentes me diligo: &, Dividam iis, qui me diligunt ſubſtantiam. Ipſe autem eſt ſubſtantia. Et theſauros eorum implebo bonis. Nyſſen. Homil. 2. in Cantic. [Bonus utique Deus, qui prior diligit nos, & diligentibus ſe, ut plùs diligant, præſtat auxilium.]

936 Felix anima, quæ recumbit in pectore Ieſu, ubi reconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Ibi veræ quietis locus, intelli-

gen-

gentiæ ſerenum, ſanctuarium pietatis, delectationis cubiculum. Gillibertus ſerm. 12. ſuper Cantic. inter oper. Bernardi. [Illuc anima ſãcta, ſponſa dilecta introducitur; & quia cubiculum cella vinaria quoque eſt, inebriatur amore, & in corde ipſius ordinatur charitas.]

937 Duos calices lego, unũ mortis, alterum vitæ. Mortis calicem ſuo Chriſtus exinanivit in ſanguine, & novum calicem miniſtravit, ut dicamus; Calicem ſalutaris accipiam. Novi calix eſt teſtamenti, qui in remiſſionem effunditur peccatorũ. Effunditur hic calix, & fæx eius nõ exinanitur, quia mundat omne delictũ. Ambroſius in Pſal. 37. verſ. 1. [Conſideranda doctrina, & corde recogitanda ante communionem corporis, & ſanguinis Domini.]

938 Salvator ait; Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Ergo mortui omnes ſub peccato, ſervi mortui, ſerviendo mortui, moriendo ſervi. Quis ergo liberat à morte, à ſervitute, niſi in mortuis liber? Quis eſt in mortuis liber, niſi inter peccatores ſine peccato? Ecce venit princeps

mun-

mundi, & in me nihil inveniet. Veni Domine redemptor, veni. Agnoſcat te captivus, fugiat te captivator, tu eſto mihi liberator. Auguſtinus ſerm. 48. de verbis Domini.

939 Ingreſſus portas iuſtitiæ confitebor Domino. Illa confeſſio laudis eſt admirabilis uſque ad domum Dei in voce exultationis, & confeſſionis ſoni feſtivitatem celebrantis. Laudis tota eſt iſta confeſſio, nō vulnera medico oſtendens, ſed de percepta ſanitate gratias agens. Ipſe autem medicus ſalus eſt. Hæc eſt æterna beatitudo iuſtorū: quia beati ſunt, qui habitant in domo Dei, in ſecula ſeculorum laudabunt eum. Auguſt. in Pſal. 117.

940 Non ſimpliciter Chriſtum teneamus, ſed ei conglutinemur. Nā, ſi quicquam ſeceſſerimus, peribimus. Conglutinemur igitur ei, & conglutinemur per opera. Ipſe caput, nos corpus: nunquid poteſt ulla media eſſe inter caput, & corpus diſtantia, quæ vacet? Ipſe fundamentum, nos ædificium: ipſe vitis, nos palmites: ipſe ſponſus, nos ſponſa: ipſe paſtor, nos oves: via ille, nos viatores: nos

item

item templum, ille inhabitator: ipſe primogenitus, nos fratres: ille hæres, nos cohæredes: ipſe vita, nos viventes: ipſe reſurrectio, nos qui reſurreximus: ipſe lux, nos illuminati. Chryſoſt. Homil. 8. in 1. ad Corinth.

941 Vitæ humanæ, atque mortis finis eſt reſurrectio: & certiſſimum militiæ noſtræ ſtipendium eſt incorrupta æternitas; non ad pœnæ perſeverantiam manens, ſed ad perpetuæ gloriæ fructum iucunditatemq; non deſinens. Hilar. lib. 11. de Trinitate. [Hunc finem notum ſibi fieri expetebat David rex: mors quippe corporis huius non eſt finis reſurrecturo. Simus & nos frequentes in hac conſideratione ne ultra, quàm par eſt, mortem extimeſcamus.]

942 His, qui Chriſti commemorant paſſionem intra ſacra officia, quaſi per quoſdam canales de interioribus fontibus egrediuntur torrẽtes, & ſuper omnes delicias lacrymis nectareis anima delectatur; magnam ſuavitatem animæ inquirenti, ubi ſit Deus ſuus, ſuſpiria contemplationis eliciunt. Ex Cyprian. ſeu authore tractatus de Cœna Domini inter eius opera.

Ge-

943 Gemitus illos non labor, ſed pietas excitat, & inter diem,& noctē retro, & ante ſe affectio intuens, inter data condonādo ſe dividens, gratias agit tam uberis beneficij largitori; & ſe ſanatam, & ſanctificatam agnoſcens,fletibus ſe abluit,& lacrymis ſe baptizat. ibid.

944 Infirmus eras, Domine Ieſu, quando dicebatur; Si filius Dei eſt, deſcendat de cruce. Nihil valere videbaris. Prævaluit ſuper te perſecutor, & demonſtraſti hoc antea, quia & Iacob ipſe prævaluit Angelo in luctando: quando,niſi vellet Angelus? & prævaluit homo, & victus eſt Angelus, & victor homo tenet Angelū, & dicit; Non dimittam te,niſi benedixeris mihi. Magnum ſacramentū, & ſtat victus, & benedicit victorem. Victus, quia voluit, carne infirmus, maieſtate fortis. Auguſtinus in Pſalmo 79. [Sed ſicuti paupertas illius noſtrum eſt patrimonium, ita infirmitas Domini noſtra virtus eſt, & fortitudo.]

945 „ Regnum cœlorum, ſempi-
„ ternum, feliciſſimum. Ibi bona
„ tuta ſunt conſcientiæ,ubi iam non
„ lice-

„ licebit poſt præſentia ſeculi mala
„ peccare, ubi diabolo nullus acceſ-
„ ſus, ubi tenebrarum non eſt locus;
„ ſed neque qui decipit, neque qui
„ decipi poſſit, penitus invenitur. Il-
„ lic bona omnia, illic cuncta felicia,
„ illic proſpera univerſa: non dies lu-
„ cis incremento mutabilis, non ſol
„ lentior in ortu, in fulgendo clarior,
„ in occaſu fuſcior apparebit: nox
„ omnino vacabit, luna non erit, nec
„ ſyderum micatus ardentior rutila-
„ bit; famem nemo ſentiet, lacrymæ
„ detergentur, timor nullus, metus
„ ex nihilo, iucunditas omnia, pax
„ totum; gaudium, quidquid obno-
„ xium triſtitiæ fuerat, poſſidebunt.
„ Hæc Ambroſius, ſeu author libri
„ de Pœnitentia inter eius opera to-
mo 5.) cap. 30.

946 Quis autẽ de terrenis ad cœ-
leſtia, de umbra ad claritatem, de
exemplari ad penetralia veritatis hu-
mano gradu ſine divino ductu poſſet
aſcendere? Quis poteſt conſiderare
altare illud cœleſte, verumque illud
templum, ſacerdotes, & levitas, non
iſtos ſecundũ carnis officia: ſed illos
ſecundum ſpiritus gratiam? Deni-
que

que hanc ſolam ſibi gratiam pro maximis optavit David, dicens; Vnam petij à Domino hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: & ut videam delectationem Domini, & conſiderem templum eius. Ambroſ. in Pſal. 118. verſicul. Adaperi oculos meos, &c. [De illo altari forcipe deſumpſit Angelus calculum ignitum (fortè, quia non eſt auſus propiùs accedere ob eius reverentiam, vel ob calorem nimium; quia carbones, ut plus ignescant, ſuccenduntur à Deo, qui eſt ignis conſumens,) ut purgaret linguam, & os prophetæ, qui magnalia de Verbi Dei incarnatione erat loquuturus.]

947 In illa regione claritatis, & luminis, Chriſtus Dei virtus, & ſapientia ſedet, cuius ſpecies, decor, & pulchritudo maxima prorſus inexplicabilis reperitur. In manu eius dextera, (ut ſcriptura dicit) longitudo vitæ eſt. In alia autem habet poſitas pretioſas virtutum divitias, quę ſimul reſplendent cũ ſplendore gloriæ. Ex ore eius egreditur iuſtitia, quæ habet redolentiam ſpirantem odo-

odorem bonum, odorem ſuavitatis. In vijs iuſtitiæ ambulat, ut eius quoque laudetur inceſſus. Ex Nyſſeno homil. 1. in Cantica.

948 „ Chriſtus ibi lignũ vitæ eſt: „ forte illud afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens „ fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem Gentium. Hæc arbor faciens fructũ duodecies, nutrimentum quidem ijs, qui eam apprehẽdunt: ijs autem, qui innituntur, columna firma, ac ſtabilis, & quæ nõ poteſt labefieri. Huic perenniter adhærere ſumma felicitas, vertex eſt gloriæ. Author.

949 Eò ibimus (Domino eligente, & aſſumente) ubi paradiſus eſt iucunditatis, ubi Adam, qui incidit in latrones, neſcit vulnera ſua flere, ubi & latro ipſe regni cœleſtis conſortio gratulatur, ubi nullæ nubes, nulla tonitrua, nullæ coruſcationes, nulla ventorum procella, neque tenebræ, neque veſper, neque æſtas, neque hyems vices variabunt temporum. Non frigus, non grando, non pluviæ, non ſolis iſtius erit uſus, aut lunæ, neque ſtellarum

„ glo-

„ globi, ſed ſola Dei fulgebit claritas.
„ Dominus enim erit lux omnium,
„ & illud lumen verum, quod illumi-
„ nat omnem hominē, fulgebit om-
„ nibus. Ibimus eò, ubi Dominus Ie-
„ ſus ſervulis ſuis manſiones para-
„ vit: ut, ubi ille eſt, & nos ſimus: ſic
„ enim voluit. Ambroſ. libro de Bo-
„ no mortis, cap. 12.

950 Ego ſum, inquit, panis vivus, qui de cœlo deſcendi. Hæc eſt annona præliantium, de horreis invecta dominicis, unde paſcuntur Angeli, quia panem Angelorum manducavit homo. Qui hanc annonam dedit pugnanti, quid ſervat vincenti? Aug. in Pſal. 143. col. 7.

951 Eſt animæ ſuaviſſima, & ſaluberrima requies conſcientia munda, quieta, ſecura. Sit ergo beatæ animæ culcitra conſcientiæ ſuæ puritas, ſit capitale tranquillitas, ſit opertorium eius ſecuritas: ut in hoc interim ſtrato dormiat delectabiliter, feliciter requieſcat. Bernard. ſer. 2. in feſt. omnium SS. [Conſidera, quæ ibi præcedunt, & ſequuntur ut ſanè, & rectè doctrinam hanc intelligas.]

952 Exaudi Domine vocem meā,

M quia

qua clamavi ad te. Pſal. 28. ubi Aug. Exaudi Domine vocem meam interiorem, quam in aures tuas forti intentione direxi.

953 Ieſus Chriſtus Dominus, rex, & ſacerdos noſter eſt; rex, quia nos regit, & ducit: ſacerdos, quia pro nobis interpellat. Aug. in Pſalm. 26. enarrat. 2.

954 Debitorem Dominus ipſe fecit ſe, non accipiendo, ſed promittendo: non ei dicitur; Redde, quod accepiſti; ſed redde, quod promiſiſti. Auguſt. in Pſal. 83.

955 Quoniam apud te eſt fons vitæ. Pſalm. 35. Bonus fons Dominus Ieſus, qui nos de huius vitæ refrigeravit incendio, & inundatione ſua ariditatem noſtri pectoris ſuperavit. Auguſt. ſerm. 92. de tempor.

956 Solus Deus eſt ille, qui non novit, niſi dare; non habet datorem, quia non habet meliorem. Quo tu ſi inferior es, imò quia inferior es gratulare, quia ad eius imaginem factus es, ut in illo invenìaris, qui in te periјſti, &c. Auguſt. ſerm. 95. de tempor. col. 3.

957 Via Chriſtus humilis, Chri-

ſtus veritas, & vita, Chriſtus excelſus, & Deus. Si ambules in humili, pervenies ad excelſum. Si infirmus humilem non aſperneris, in excelſo fortiſſimus permanebis. Quæ enim cauſa humilitatis Chriſti, niſi infirmitas tua? Veniret ad te tantus medicus, ſi vel ſic ægrotares, ut poſſes venire ad medicum? Auguſt. hom. 24. ex 50. circ. init.

958 Domino Ieſu laus, honor, gloria, perpetuitas à ſeculis, & nunc, & ſemper, & in omnia ſecula ſeculorũ, Amen. Ambroſ. in Pſal. 37. in fin.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX

RERVM NOTABILIVM,

A

ADverſitas numero 271. & ſequentibus. 312. & ſeq.
Aeternitas. 5. 78. 380. & ſeq. 796.
Amor Dei erga homines. 499. & ſeq.
Amor Dei. 109. 257. 326. 323. 620. 433. 488. & ſeq. 493. 787.
Amor Ieſu. 60. 65. 71. 182. 406. & ſeq. 452.
Amor ſeculi. 181. 182.
Anima pura. 509.
Animæ ærugo. 568. 816.
Anima eſt equus Chriſti. 347. & ſeq.
Arrogantia. 151.
Aſcenſitio Chriſti, 454. & ſequentib.
Auxilium Dei 414. & ſeq, 480. vide Gratia.

M 3 Bel-

B

BEllum Chriſtiani. 574.
Beneficia Chriſti. 27.29.33.
Bonitas Chriſti. 51. 67.

C

CHaritas. 38. & ſeq. 55. 80. 94. 249. & ſeq. 279. 280. 315. 748. 753. vide Amor Dei.
Chriſti incarnatio. 59. 141. & ſeq. 171. 215. 277. 359.
Chriſti Nativitas. 33. 153. 154.
Chriſtus Crucifixus. 45. 80. 95. 120. 164.
Chriſtus redemptor. 9. 21. 70. 73. 159. 155. 168.
Salvator. 506. 511. 518.
Juſtificator. 463.
Sacerdos. 514. 791. 211. & ſeq. 224.
Hoſtia 209. & ſeq.
Advocatus. 853.
Iudex 526.
Medicus 30. 114.
Rector. 306. & ſeq.
Dies cœli. 286. & ſeq.
Bonus. 51. 67.

Digitized by Google

Chriſtus eſt ianua. 1.
Eſt via. 3.4.9.31.63..99. 185.291. 737.797.
Eſt fons. 7.51.88.90.118.
Eſt miſericors. 821. 29. 40. 77. 120.122.139.142.147.175.318
Eſt vita noſtra. 790.
Eſt ſalus. 24.25.26.118.
Eſt veritas. 21. 32.
Eſt cibus. 17.48.52.
Chriſti virtus. 23.
Beneficia. 27.39.33.
Sanguis. 22. 160.243.
Humilitas. 34.146.162.163.153. 159.197.583.
Patientia 792. & ſeq.
Chriſtus eſt ceruus. 448.
Eſt ſol. 518.
Eſt lumen. 806.
Eſt potus. 172. 205. 288.742.
Factus eſt omnia propter nos. 18. 177.
Omnia nobis in Chriſto. 19.79.81.
Chriſtum ſemper cogitemus. 87.
Chriſtus eſt petra 110. & *ſeq.*
Eſt virga. 140.
Eſt oleum. 200.
Eſt ros. 126.
Chriſti paſſio. vide Paſſio.

Digitized by Google

Chriſti timor. vide Timor.
Chriſti corpus. vide Euchariſtia.
Cibus Chriſti. 196.
Eſt dux noſter. 186. & ſeq.
Chriſtus ſuavis. 179. 183. 197. 139. 269. 117.
Compaſſio. 633. 590.
Compunctio. 619.
Confeſſio. 519. 576.
Confidentia. 9. 15. 160. 144. & ſeq. 260 269. 484.
Conformitas cum Chriſto. 170.
Conſcientia. 534.
Correctio lenis. 577.
Crucifixus in corde figendus. 872.
Crux. 106. 107. 194. 291. & ſeq. 298. 310. 322. 385. 345. 373. 507. 541. 631. 825.

D.

DEus eſt auctor bonorum. 304. 584.
Eſt bonus. 556.
Eſt fons. 860.
Eſt iuſtus, & miſericors. 148. 175. 197.
Dei providentia. 839.
Eſt ſuavis. 428.
Eſt pulcher. 869.

Deus

Deus ſpes noſtra. 56.63. 79.157.
Dei amor. vide Amor.
Dei timor. vide Timor.
Dei laus. vide Laus.
Dei Gratia. vide Gratia.
Dei verbum. vide verbum.
Depoſitum eſt ſervandum. 295.
Diabolus tentator. 3. 96. 289. 563.
Diligentia. 27. 35. 91. 240. & ſeq. 270.272.285.362.376.483.498 459. & ſeq.

D

E

Eccleſia. 389.
Euchariſtia. 52. 54. 58. 59. 148. 206.202. & ſeq. 216. 564. & ſeq. 874. 807. & ſeq. 802. & ſeq.
Examen conſcientiæ. 486.

F

Fides. 138.
Fides ſine operibus. 635.
Fides viva. 419. 519. 761. & ſeq.
Fidei incrementum. 851.
Fiducia in Deum. 641. 646
Fortitudo. 78. 271. & ſeq. 310.

Gra-

G

Granum in paleis. 628.
Gratiarum actio. 524. 477. 644 & ſeq. 637.
Gratia Dei. 508. 521. 551. 622. 654. 600. & ſeq. 858. & ſeq. 96. 125. 174. 180. 189. 234. 311.
Gratitudo. 65. 107. 108. 403. 321. 379. 366.
Gaudium in Spiritu ſancto. 478. 486. 589. 834.
Gloria cœleſtis. 10. 14. 16. 29. 48. 82. 317. & ſeq. 420. 425. 511. 516. 536. & ſeq. 543. 555. 597. 588. 624. 754. 785. 861. 827.
Gloria Dei in omnibus, quærenda. 812.
Glorificatio Dei. 42. 46. 77.

H

Holocauſtum 279. 280.
Homo novus. 301.
Homo imago Dei 462.
Hominis error gravis. 816.
Hoſtia quomodo quis eſſe queat. 131. 204.

Hu-

Humilitas. 542. 550. 618. 627. 837. 4. 74. 253. & ſeq. 325.

I

IEiunium. 561.
Ieſus. 11. & *ſeq.* 139.
Ieſu nomen. 193. 198. 200. 201. 139. 265. & *ſeq.* 327. & *ſeq.* 338. & *ſeq.* 344. *vide* Chriſtus.
Ieſu amor. vide Amor.
Ignorantia. 256. 294
Incarnatio. 438. 450. 459. & *ſeq.* 557. & *ſeq.* 499. 570. 578. & *ſeq.*
Ingratitudo. 489.
Infernus. 488. 235. & *ſeq.*
Inimicorum dilectio. 788.
Inſania. 75.
Ira. 744.
Iudicij dies. 570. 585. 603. 804.
Iugum ſuave. 520. 393. & *ſeq.*
Iuſtitiæ fames. 554.
Iuſtus Deus, & miſericors. 148. 175. 197.

L

LAus flagellantis medicina eſt vulneris. 853.

Laus

Laus vera. 421. & *ſeq.*
Laus Dei. 40. 41. 43. 44. 273. 281. 524. & *ſeq.* 840. 843. 847. & *ſeq.* 852. & *ſeq.*
Lacryma. 16. 50. 97. 269. 766.
Læva, & dextera Ieſu. 168.

M.

Aria Virgo amore confixa. 490 & *ſeq.* 778. & *ſeq.*
Meditatio. 620.
Miſeria hominis. 416. 587.
Miſericordia Dei. 607. 692. & *ſeq.* 757.
Mors. 420. 457. 630. & *ſeq.* 765. [illegible] 267.
Mortis portæ. 763.
Mortificatio. 552. & *ſeq.* 479. 596. 615. 764. 872. 133. 267. & *ſeq.*
Mundus eſt exilium. 82. 83.

N.

Egligentia. 86. 124. 257. 285. 267. & *ſeq.*
Negligens. 423. 446. 546. 569.
Nomen Ieſu. 749.
Noſce teipſum. 770.

Ope-

O

Opera bona. 546.& ſeq.821.
Oratio. 424. & ſeq. 530.535. 548.& ſeq.473. & ſeq.573.580. & ſeq.755. 150. 165. 332. 343. 351.
Oſculum ſponſi 521. & ſeq.

P

Pati pro Chriſto glorioſum. 727.& ſeq.
Patientia. 657.
Paupertas. 245.199.
Paſſio Chriſti 430.497.64.66.245. & ſeq.277.284.302.360.401.
Pax Sanctorum. 774.830.& ſeq.
Peccatum. 418.441.443.& ſeq. 545. 485.& ſeq.566.& ſeq.639.780. 743.746.72.74.85. 217.315.
Perfectio noſtra Chriſtus 274.& ſeq.
Perfectio 19.
Pericula. 575.
Placuiſſe Chriſto magna merces. 26.
Pœnitentia. 509.529.& ſeq. 537.483. 486. 576.651.766.841.& ſeq. 891.816.68.190.204. 303.331. 378.

Præ-

Præcepta Dei 870.
Præſentia Dei. 431. 503. 528.
Protectio Dei. 6. 510. & ſeq. 263. & ſeq. 178.
Pſallere. 781.

R

R*Ector Chriſtus* 306. & ſeq.
Refugium noſtrum Chriſtus 67. 99. 100. & ſeq. 105. & ſeq. 109. & ſeq. 168.
Reſurrectio. 76.
Reſurrectio Chriſti 113. 149.
Ros Chriſtus. 126.

S

S*Acramenta* 62.
Salus noſtra Chriſtus. 24. & ſeq. 118.
Sanguis Chriſti 494. & ſeq. 583. 815. 32. 16. 243.
Sapientia Chriſti 61.
Scandalum. 329.
Senſus refrænandi. 636. 615.
Sequela Chriſti. 457. & ſeq. 862. & ſeq.
Serpens imitandus. 513.

Ser-

Servire Deo glorioſum. 731.
Spes, & timor. 468. 472.
Spes 569. 510. 534. 471. 263. *& ſeq.*
Spiritus ſanctus. 335. *& ſeq.*
Superbia. 259. 507.

T

T*Entatio.* 614. 730. 771. 845. 816.
Terrena fugienda. 572.
Timor Dei. 390.

V

V*Anitas.* 14. 55. 92. 93. 256. 293. 380. 747. 439. 504. 510. 532. *& ſeq.* 541. 553. 488. 572.
Verbum Dei. 93. 386.
Via anguſta. 370.
Via lata. 369.
Victoria de mundo. 741.
Victoria coronatur. 309.
Virtus. 85. 306.
Viſio Dei cibus Beatorum. 795. *vide Gloria.*
Voluntas bona. 81. 332.
Voluntas Dei. 773.
Vulnera Chriſti. 481.

Ze-

INDEX

Z

Zelus. 436.

Finis Indicis.

Digitized by Google